ELOGIORUM ROMANORUM RELIQUIÆ,

ADDITIS EX OPERE

LUDOVICI BAVARIAE REGIS

QUOD INSCRIBITUR:

WALHALÆ CONSORTES

CAPITIBUS LATINE VERSIS.

EDIDIT

CAROLUS ZELL,

PHIL. DOCTOR, MAGNO DUCI BADENSI A CONSILIIS SCHOLARUM REGUNDARUM, ORDINI LEONIS ZARINGICI ADSCRIPTUS.

STUTTGARTIÆ,

SUMTIBUS LIBRARIÆ METZLERIANÆ.

1847.

1861, Nov. 15.
Gray Fund
45 cts.

ELOGIORUM ROMANORUM RELIQUIAE.

I. Romulus.

In basi Pompeiis inventa. Edidit *Millin* in Annal. encycl. 1818. I. p. 324.; plenius *Jorio* Plan de Pompée et remarques sur ses edifices. Naples 128. pag. 109, 236 & 238; indeque *Orellius* Inscriptt. latt. Collect Vol. I, n. 534. Vol. II, n. 5053. — Commemorantur in elogio: Romuli origo; Roma condita; regni Romulei tempus; spolia opima; consecratio; omnia reliqua ex Romuli historia praetereuntur.

Romulus, Martis filius, urbem Romam condidit et regnavit annos duodequadraginta. Isque primus dux, duce hostium Acrone rege Caeninensium interfecto, spolia opima Jovi Feretrio consecravit, receptusque in deorum numerum Quirini nomine apellatus est.

Annos duodequadrag. **Veteres scriptores alii duodequadraginta annos, alii undequadraginta referunt. V. Interprett. ad Cic. De re publ. II, 10. — Ceterum primus editor verba *condidit,* (quum inscriptio nonnisi literas ... *it* reliquas haberet), et *nomine* (pone *Quirini*) supplendo addidit.**

II. M'. Valerius Maximus.

Inscriptio in tabula marmorea Arretii inventa a. 1688 ibique in Museo Joannis Hieronymi Equitis Bacci olim observata, alta ped. rom. 1 cum semisse, lata unc. 14. Primus edidit *Gorius* (Inscriptt. Etrusc. T. II, p. 235.) quem secuti sunt *Morcellius* (De stil. inscriptt. latt. in Opp. epigraph. Vol. I. p. 261); et *Orellius* (Inscriptt. latt. Collect. Vol. I. n. 535). — Valerii magistratus

gesti; de Sabinis triumphus; plebii cum patribus conciliati, ob eamque causam honores Valerio decreti. Peculiarem habet elogium nec alibi commemoratam auguris dignitatem et de Medullinispraeter Sabinos triumphum.

M'. Valerius Volusi F. Maximus, Dictator, Augur. Primus quam ullum magistrum gereret, Dictator dictus est. Triumphavit de Sabinis et Medullinis. Plebem de sacro monte deduxit; gratiam cum patribus reconciliavit. Foenore gravi populum senatus, hoc eius rei auctore, liberavit. Sellae curulis locus ipsi posterisque ad Murciae spectandi causa datus est. Princeps in senatum semel lectus est.

M'. Valerius. *Gorius* eumque sequens *Morcellius* virgula literae Maddita *Manium* Valerium habent, quale eiusdem praenomen apud Dionysium Halicarnasseum et in plurimis Livii editionibus profertur. *Orellius* recepit M. (*Marcus*) nihil nos admonens, ut nescias utrum casu an consulto factum sit. Secutus est fortasse *Niebuhrium* (Hist. rom. I. p. 563 & 628), qui quidem nos docet omnes fere Livii et Ciceronis codices manu scriptos *Marci* praenomen habere, indeque colligit *Manii Valerii*, Marci filii, personam plane confictam esse tum demum, quum seriori tempore fama invaluisset *Marcum Valerium* in proelio ad Regillum lacum occidisse, ut quis e Valeria gente esset, cui adscribi posset quidquid Annales post illud Regillense proelium a Marco Valerio gestum narrarent. Quae coniectura de Manii Valerii persona ficta ut parum certa est, ita Valerio illi Maximo, qui plebem cum patribus reconciliavit, Cicerone et Livio imprimis auctoribus, *Marci* praenomen tribuendum utique videtur; sed ut in re nondum plane explorata primum inscriptionis editorem adhuc sequi placuit. Ceterum Valeriae gentis stemma proponit Drackenborch. ad Liv. III, 25.

Volusi F. Herois Valeriorum eponymi, qui Tatii Sabinorum regis comes celebratur (v. Niebuhr. Hist rom. I, 563.) modo *Velesus* modo *Volusus* appellatur. E locis scriptorum ab Arnzenio ad Aurel. Vict. De vir. illustr. cap. 15 congestis, *Velesus* antiquior, *Volusus* sequior nominis forma esse videtur.

Dictator. Dictatorem a. u. 250 creatum esse seditionis se-

dandae causa in eoque honore Maximum appellatum esse Fasti Capitolini ad hunc annum adnotant, atque uberius narrant Livius II, 30. Dionys. Halicarn. VI, 39—41. 44.

Primus quam ullum etc. Morcellius praepositionem *ante* cogitando supplendum arbitratur, ut haec sit loci sententia: Valerium omnium primum dictatorem fuisse et quidem ante quam ullum alium magistratum gessisset. Sed vereor, ut locus Ciceronis quem adfert (De Orat. II, 3. Postero die quam illa erant acta) ad comprobandam eiusmodi omissionem praepositionum *ante* et *post* sufficiat. *Orellio* aberratio vel transscribentis hunc titulum vel marmorarii ipsius subesse videtur atque emendandum esse *Prius quam* pro *Primus quam*. Non liquet. Hoc satis compertum habemus, famam de primo dictatore sibi non constitisse; ab alteris, quos Livius sequitur, T. Lartio hunc honorem assignatum esse, ab alteris Manio Valerio. *Livius* enim (II, 18) „Nec quis, inquit, primum Dictator creatus sit, satis constat Apud veterrimos tamen auctores T. Lartium dictatorem primum, Sp. Cassium magistrum equitum creatos invenio. Consulares legere: ita lex iubebat de Dictatore creando lata. Eo magis adducor, ut credam Lartium, qui consularis erat potius quam Manium Valerium, M. filium, Volesi nepotem qui nondum consul fuerat, moderatorem et magistrum consulibus appositum; qui si maxime ex ea familia legi dictatorem vellent, patrem multo potius M. Valerium spectatae virtutis et consularem virum legissent." Eandem famam de Manio Valerio primo dictatore etiam servavit *Festus* s. v. *Optima lex* in Corp. Grammaticor. latin. Ed. Lindemann T. I. pag. 194. coll. Tom. II. Commentar. pag. 550.

Triumphavit de Sab. et Medull. Rerum scriptores, qui de hoc triumpho eumque praecedente bello narrant, Livius (II, 30. 31.) et Dionysius Halic. (VI, 42. 43.) praeter Sabinos commemorant Aequos potissimum et Volscos; Dionysius tamen (VI, 34) Medullinos bello exorto a Romanis descivisse ad Sabinos significat. Medullia autem, urbs munitissima, iam ab Anco Martio rege in ditionem romanam redacta erat (Liv. I, 33.).

Plebem de sacro monte etc. Ut hoc loco ita etiam apud Ciceronem (in Brut. cap. 14.) Valerio dictatori primariae in hac seditione sedanda partes attribuuntur. Cicero enim „Videmus, inquit, paucis annis post reges exactos cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumque montem qui Sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias, eique ob eam rem honores amplissimos ha-

famem atque invidiosam lectionem senatus a collega habitam verecundia victum magistratu se abdicasse; Frontinus De aquaed. c. 5. Plautio ut abdicaret Appium persuasisse, quo ipse solus opera publica communi cura exstrui coepta suo ipsius nomine inscriberet, narrant. Addit Livius IX, 33. „Appius Claudius circumactis decem et octo mensibus, quod Aemilia lege finitum censurae temporis spatium erat, quum C. Plautius collega eius magistratu se abdicasset, nulla vi compelli, ut abdicaret, potuit.“ Deinde contentiones de hac re habitas copiose narrat. Aurelius Victor (De viris illustr. c. 34.): „Censuram solus omni quinquennio obtinuit.“ — *Cos. bis.* Primum consul fuit cum L. Volumnio a. u. 446. Liv. IX, 42. Fasti Capitolin. ad hunc annum; secundum cum Q. Fabio Maximo a. u. 456. Cic. Sen. c. 6. Liv. X, 57. Fast. Capitolin. ad h. ann. — *Dict.* Quando dictator fuerit Appius Claudius indicari posse negat *Drumannus* (l. l. pag. 174.), neque aliud huius rei praeter hunc titulum testimonium affert. Sed Fasti Capitolin. ad ann. u. c. 461 disertis verbis Appium Claudium hoc anno Dictatorem comitiorum habendorum causa creatum esse commemorant.

Interrex III. Quibus annis primum, iterum, tertium Interrex fuerit, accuratius definiri nequit. Una vice hoc munere an. u. c. 454 functus est, de qua re Livius (X, 11.) haec habet: Eo anno (nec traditur causa) interregnum initum. Interreges fuere Appius Claudius, dein P. Sulpicius. Is comitia consularia habuit. Accedit alia interregni Appiani mentio apud Ciceronem in Brut. cap. 14. his verbis: Possumus .. suspicari disertum ... M'. Curium, quod is tribunus plebis, interrege Appio Caeco, diserto homine comitia contra leges habente cum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit.

Pr. II. Aed. cur. II. Q. Tr. mil. III. Quibus annis praetor, aedilis curulis, quaestor, tribunus militum Appius iteratis vicibus fuerit, satis accurate definiri nequit. De praetura Appii Drumannus (l. l. pag. 171. not. 80.) ita sentit, eodem pertinere annum, quo post secundum consulatum *propraetor* parti exercitus in Etruria praeesset. Livius certe quidem hoc ducis munere fungentem *praetorem* eum appellat. (X, 24. 25. 31.)

Oppida de Samnitibus cepit. Livius X, 17. postquam Murgantiam, Romuleam, Ferentinum, Samnitium urbes a P. Decio (an. u. c. 456.) captas narravit, haec addit de diversa harum expugnationum fama: Huius oppugnatarum urbium decoris pars maior in quibusdam annalibus ad Maximum trahitur. Murgantiam a Decio, a Fabio Ferentinum, Romuleamque oppugnatas tradunt: sunt qui

novorum consulum (puta L. Volumnii, Appii Claudii) hanc gloriam faciant. Sed et anno proximo (u. c. 457) Appio Claudio praetori cum exercitu Deciano adversus Samnites misso occasio oppidorum de Samnitibus capiendorum non defuit. Liv. X, 31.

Sabinor. et Tuscor. exercit. fudit. Intelligenda est victoria, quam Appius Claudius Consul iterum (an. u. c. 456.) a Volumnio collega adiutus de Etruscis reportavit, quam Livius X, 18. 19. tam egregie enarrat. Sabini autem cum Etruscis sociati tum erant, in eodemque proelio *cohortes Sabellae* a Livio (c. 19.) quarum adventu recruduerit pugna commemorantur. Sed etiam Aurelius Victor (De viris illustrib. cap. 34.) in Appii Claudii vita: Sabinos, Samnites, Etruscos bello domuit.

Pacem fieri cum Pyrrho rege prohibuit celebratissima illa oratione, quam senex et caecus lectica in senatum latus habuit. Plutarch. in Pyrrh. cap. 18. seqq. Veterum de ea re locos congessit *Drumann* (l. l. pag. 174. not. 1.)

Viam App. stravit et aquam. Livius IX, 29. „Censura clara eo anno (441 u. c.) Appii Claudii et C. Plautii fuit: memoriae tamen felicioris ad posteros nomen Appii, quod viam munivit et aquam in urbem duxit, eaque unus perfecit.“ Sext. Aurelius Victor (De vir. illustr. c. 34.): „Viam usque Brundusium lapidibus stravit; unde illa Appia dicta. Aquam Anienem induxit.“ Sed in hoc posteriori opere aquae in urbem inducendae Plautium collegam adiutorem habuisse, inde patet, quod is cognomen *Venocis* a venis aquae inventis nactus est. Frontin. De aquaed. cap. 5.

Aedem Bellonae in proelio adversus Etruscos Consul iterum voverat. Livius (X, 18.): „Dicitur Appius in medio pugnae discrimine ita ut inter prima signa manibus ad coelum sublatis conspiceretur, ita precatus esse: „Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.“ cf. Ovid. Fast. VI, 201.

IV. M. Valerius Corvinus.

Elogii in fine laceri pars reliqua haec continet: Gallum a Valerio interfectum; eiusdem consulatus, dictaturas, triumphos; exercitus Capuani seditionem ab eo sedatam. — Titulus olim Neapoli repertus, non superest, sed exemplar eius descriptum exstat in bibliotheca Vaticana unde Borghesius primus edidit in libro qui inscribitur Giornale Arcadico. Rom. 1819. Tom. I, pag. 60. cf. Aurel. Victor. De vir. illustr. cap. XXIX.

M. Valerius annorum XXIII, cum exercitus Gallorum in Pomptino agro consedisset, principem Gallorum provocantem singulos bellatores interfecit et quod corvus inter eam pugnam galeae eius consedisset Corvinus dictus est. Cos. iterum de Samnitibus, Volscis, Satrinis triumphavit; Cos. III de Samnitibus; Cos. IIII de Calenis; Dictator II de Etruscis et Marsis IIII triumphum.... Inter primum et ultimum consulatum eius anni XXXVI fuerunt. Is cum exercitus, qer quem Samnites superati ... inani seditione facta descissus ab pop. rom. videretur, Dictator missus ad imperium auctoritate superbiens, ut omnes milites in urbem reverterentur....

Annorum XXIII. Livius quoque (VII, 26.). M. Valerium viginti tres annos natum Consulem renuntiatum esse scribit; et iterum (VII, 40.) Valerium gloriantem inducit, se tres et viginti annos natum consulem creatum esse.

Princip. Gallorum interf. Insignes eius rei narrationes apud Livium VII, 26. et Gellium Noct. Att. IX, 11. Livius non principem Gallorum, sed Gallum magnitudine atque armis insignem nominat; Gellius vero, qui eam rem secundum annalium fidem se narrare profitetur, ducem Gallorum vasta proceritate armisque auro praefulgentibus. — *Corvi* cognomen apud Livium, Ciceronem, in Fastis Capitolinis est; *Corvini* apud posteriores. De qua scriptionis diversitate disputant Interpretes ad Liv. l. l. ad Aurel. Victor. l. l. et Tzchucke ad Eutrop. II, 6.

Cos. iterum de Samnit. Valerius consul iterum (an. u. c. 407 secundum Fastos Capitolinos) tantum de Volscis et Satrico urbe triumphavit, neque de Samnitibus contra quos quidem bellum Valerio tertium consule (an. u. c. 410.) initium cepit. Liv. VII, 27. coll. cap. 29. Quapropter nomen Samnitum h. l. e proxime sequenti versu vel marmorarii vel librarii culpa male illatum videtur. — *Cos IIII de Calenis.* Liv. VIII, 16. In Fastis Capitolinis ad ann. u. c. 418. M. Valerium Corvum Cos. IV in hoc honore Calenum appellatum esse adnotatur.

Dictator II. Consentit elogium hac parte cum Fastis Capitolinis, qui ad ann. u. c. 452 M. Valerium Corvum iterum Dicta-

torem rei gerendae causa ferunt, eundemque annis proxime sequentibus (u. c. 453. et 454.) consulem V et VI. Sed Livius X, 3. M. Valerium Maximum, non Corvum eodem tempore dictatorem et consulem nominat. Etrusci et Samnites his annis a Livio identidem rebellantes et victi memorantur; triumphum autem de Etruscis et Marsis eo tempore a Valerio reportatum, quem elogium h. l. iactat, nusquam alibi memoratum inveni.

Anni XXXVI fuerunt. Nota numeri X et I addenda est. Nam et Valerius Maximus (Factor. et Dictor. memorab. VIII, 13, 1) inter Valerii Corvini primum et sextum consulatum quadraginta septem annos fuisse scribit, et ex Fastorum Capitolinorum, quos hoc elogium etiam de dictaturis Valerii binis sequitur, computatione apparet. Primus enim ibi Valerii Corvi consulatus in an. u. c. 405 incidit, sextus in annum 454, unde si binos consulatuum annos computando demseris intervallum inter utrumque numerum quadraginta annorum relinquitur.

Is cum exercitus etc. Significatur h. l. seditio exercitus romani, Capuae vel luxuria superbientis, Livio auctore, vel aere alieno, ut Aurelius Victor narrat, compulsi, quam Valerius Corvinus auctoritate sua et verborum lenitate compressit, dum dictatura primum fungitur. Vid. Liv. VII, 39—42. Aurel. Victor cap. 29. exeunte. Verba elogii hac parte mutila in hunc fere modum suppleas, ut pone *superati* addatur *essent;* pone *reverterentur* verbum *effecit,* aliud eiusmodi. *Descissus* pro *discissus*, quod verbum etiam in actis fratrum arvalium habetur (Marini Atti pag. 598), Forcellinio observante in lexic. s. v. *discindere;* aliis locis haud facile invenitur. — *Auctoritate superbiens* ad dictatorem referendum et in bonam partem interpretandum est, de confidentia dictatoris, quam e sua apud milites auctoritate sumsit, qualem etiam Livius inducit (VII, 40.) in oratione ad milites dicentem: Ego sum M. Valerius Corvus, milites etc.

V. L. Caecilius Metellus.

L. Caecilii Metelli magistratus gesti; triumphus; virtutum laudes; opes; vehiculi concessi honor. Poterant addi, quae praetereuntur in elogio, Cognomen Metelli et splendor familiae per hunc primum L. Caecilium inlatus et palladium e Vestae aedis incendio servatum. — Primus inscriptionem edidit *Masochius* in Epigrammat. antiquae urbis. Romae 1521. pag. 19, 1. deinde *Grute-*

rus in Thes. p. 377. n. 4.) ex libro inscriptionum antiquarum); Morcellius De stilo inscriptt. pag. 264., adnotationibus illustratam. Sed maxima elogii pars ad verbum fere apud Plinium (Hist. nat. VII, 45.) habetur, sive inde confictum sive e communi fonte deductum est. Locum Plinii ob eam causam infra addere placuit: „Quintus Metellus in ea oratione, quam habuit supremis laudibus patris sui L. Metelli, pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, quindecimviri agris dandis, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho, scriptum reliquit, decem maximas res optimasque in quibus quaerendis sapientes aetatem exigerent, consumasse eum. Voluisse enim primarium bellatorem esse, optimum oratorem, fortissimum imperatorem, auspicio suo maximas res geri, maximo honore uti, summa sapientia esse, summum senatorem haberi, pecuniam magnam bono modo invenire, multos liberos relinquere et clarissimum in civitate esse: haec contigisse ei, nec ulli alii post Romam conditam. — Tribuit ei populus Romanus, quod nunquam alii condito ab aevo, ut, quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam.“ De L. Caecilii Metelli vita agit Drumannus (Geschichte Roms, II.) et Haakh in Pauly Encyclopaed. s. v. Caecilii n. 2. Tom. II, p. 22.

L. Caecilius L. F. Metellus, Pont. max. Cos. II. Dictator, Mag. eq. XV vir agris dandis, qui primus elephantos primo punico bello duxit in triumpho. Primarius bellator, optimus orator, fortissimus imperator. Auspicio suo maximas res gessit, maximo usus honore, summa sapientia, maximus senator. Partam ex aequo pecuniam magnam singulis liberis reliquit. Clarissimus in civitate fuit. Tributum ei ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam, quod a condito aevo nulli alii contigit.

Pont. max. Valerius Max. De dict. factisq. VIII, 13, 2. Metellus quarto anno post consularia, senex admodum pont. max. creatus, tutelam caerimoniarum per duos et viginti annos, neque ore in votis nuncupandis haesitante neque in sacris faciendis tremula manu gessit. — *Cos. II.* secundum Fastos Capitolinos (pag. 36. Ed. Laurent) primum an. u. c. 502. (a. Ch. n. 251.) cum Caio Furio

Pacilo; iterum (Ibid. pag. ead.) an. u. c. 506. cum Fabio Buteo. — *Dictator* an. u. c. 529. (a. Ch. n. 224.) comitiorum habendorum causa. (Ibid. pag. 37.) — *Mag. equitum* an. u. c. 504. A. Atilii Calatini dictatoris. (Ibid. pag. 36.) — *XV vir agris dandis* quando et qua occasione data fuerit Metellus nondum compertum habemus. Sed in universum agros in coloniis deducendis datos intellexeris, quas quidem ea aetate deductas enumerat Velleius Paterculus I, 14. exeunte.

Primus elephantos. Idem Plinius (l. supr. l.) de Metello habet, sibi ipse adversans: nam alio loco (Hist. nat. VIII, 6.) ita scribit: „Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello... anno urbis quadringentesimo septuagesimo secundo; Roma autem in triumpho, septem annis ad superiorem numerum additis. „Quod Plinius tradit Pyrrhi reges devicti elephantos in triumpho Romae ductos esse, eodem pertinet Dionysii Halicarnass. locus (Excerpt. ex Antiq. Roman. Lib. XIX. cap. 14.), narrantis octo elephantos Pyrrhi vivos a Romanis captos esse. Quodsi verum est, Metellus non primus in triumpho elephantos duxit. Sed utut hoc est, de elephantis in Metelli triumpho spectatis Plinius (l. l.) ita pergit: „Eadem (i. e. Roma vidit) plurimos anno quingentesimo secundo victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos. Centum quadraginta duo fere transvecti ratibus, quas doliorum consertis ordinibus imposuerat. Verrius eos pugnasse in Circo interfectosque iaculis tradit penuria consilii: quoniam neque ali placuisset, neque donari regibus. L. Piso inductos dumtaxat in Circum atque ut contemtus eorum incresceret, ab operariis hastas praepilatas habentibus per Circum totum actos. Nec quid deinde factum sit, auctores explicant, qui non putant interfectos.“ Dionysius Halicarnass. (II, 66) centum triginta octo elephantos in eodem triumpho ductos scribit, quorum Polybius (I. 40.) decem cum vectoribus suis, reliquos vectoribus excussis vagantes captos, accuratius enarrat.

Singulis liberis. Quinto, Lucio, Marco Metellis. cf. Drumann. l. l. pag. 19. 20. — *Curru veheretur.* Is Metello honor tributus, quod Palladium Pontifex maximus ex aede Vestae ardenti eripiens servavit, cuius incendii flammis oculorum lumina amisit. Valer. Max. I, 4, 4. Rem vividis coloribus describit Ovidius Fast. VI, 436. seqq. Ut curru in curiam vehendi ius primo Metello tributum sit, tamen in universum similis honor iam ante eum matronis Romae habitus est, quod aliquando auro suo et ornamentis aerarium sublevaverant. Livius V, 25.: „Grata ea res ut quae maxime senatui unquam fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt ma-

troniá habitum ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.“ cf. Scheffer De re vehicul. I, 18. — Locutio: *a condito aevo* ab usu pedestris orationis, qualem Cicero eiusque aequales sequuntur aliquantum recedit, apud quos *aevi* vox plerumque unius hominis vitae tempus significat. Sed eodem fere sensu de universi generis humani vita apud Horatium Carm. III, 5, 15. „exemplo trahentis Perniciem veniens in aevum.“

VI. Q. Fabius Maximus.

Magistratus, quibus functus est; res in bello punico secundo praeclare ab eo gestae coercendo Hanibalem, subveniendo Minucio magistro equitum, Tarento capto; postremum ducis eius et senatoris laudes. Propria est elogii magistratuum aliquot a Fabio Maximo gestorum indicatio, ut Interregis, Aedilis curulis, quorum alibi nusquam apud rerum scriptores mentionem reperimus. Praeter ea, quae hoc elogio continentur, Aurelius Victor in brevi rerum a Fabio Maximo gestarum indice (De vir. illustrib. c. 43.) alia quaedam addit, sed quae titulo honorario non satis apte convenirent. — Insriptio est in tabula marmorea alta ped. rom. 1 uncias 7, lata itidem circiter ped. 1 inventa, ut plures veteres codices testantur, Arretii, postea Florentiae servata in museo Mediceo. Ita Gori. Inscriptt. etrusc. T. II. p. 241. quo loco hoc elogium legitur. Codices manu scriptos, qui hoc elogium cum pluribus aliis veteribus inscriptionibus continent, ibidem pag. 261. nominatim enumerat, quorum quidem unum in ipsius fine anno 1464 scriptum esse adnotatur. Alii codices hoc Fabii Maximi elogium et Marii inventa Arimini perhibent, quod nomen urbis Gorio (p. 263.) e falsa notae *Ar.* interpretatione exstitisse videtur. Praeterea tabulam marmoream cum eodem Fabii elogio Florentiae in theatro inventam esse, Vincentius Borghinius De origine Florentiae p. 184. 185. narrat; quo tempore inventa sit, non addit, Gorio (p. 264.) iam saeculo decimo quarto post Chr. nat. inventa videtur, quum in Acuti Florentini titulo sepulcrali anno 1493 defuncti manifesta deprehendatur elogii Fabiani imitatio. Primus elogium edidit *Mazochius* Epigrammat. antiq. urbis p. 18. addito Arimini urbis nomine. Editores sequuntur: Gruter. Thesaur. p. 406. 7. Gori l. l. Morcellius in Stil. inscriptt. lat. pag. 265. Gori & Morcell. etiam commentariis explicarunt.

Q. Fabius Q. F. Maximus, Dictator bis, Cos. V. Censor, Interrex II. Aed. cur. Q. II. Tr. mil. II. Pontifex. Augur. Primo consulatu Ligures subegit; ex iis triumphavit. Tertio et quarto Hanibalem compluribus victoriis ferocem subsequendo coercuit. Dictator Magistro equitum Minucio, quoius populus imperium cum dictatoris imperio aequaverat et exercitui profligato subvenit et eo nomine ab exercitu Minuciano pater appellatus est. Consul quintum Tarentum cepit; triumphavit. Dux aetatis suae cautissimus et rei militaris peritissimus habitus est. Princeps in senatum duobus lustris lectus est.

Q. Fabius Maximus. Cognomina *Verrucosi* et *Oviculae* nec minus *Cunctatoris*, quod quidem primum convicii causa nactus est, omittuntur ut ab elogii dignitate aliena, certe quidem superflua.

Dictator bis, primum quidem continuo post cladem ad lacum Thrasimenum. Fasti Capitolin. ad ann. u. c. 532. (p. 38. Ed. Laurent.) quos tamen mireris, comitiorum habendorum causa dictatorem dictum addere, quum ob belli pericula factum sit. Livius (XXII, 8.) non Dictatorem, sed Prodictatorem creatum narrat: „Ad remedium iam diu neque desideratum neque adhibitum, dictatorem dicendum civitas confugit: et quia consul aberat, a quo uno dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuncium, aut literas mitti; nec dictatorem, populus creare poterat: quod nunquam ante eam diem factum erat, Prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum & Magistrum equitum Marc. Minucium Rufum.“ Sed et Plutarchus in Fab. Max. cap. 3. exeunte Dictaturam Fabii Maximi nominat. Iterum Dictator fuit secundum Fastos Capitolinos an. u. c. 536. interregni causa (pag. 38.), sed et tum si Livio fides habetur non Dictator, sed Prodictatore. Ita enim de hac re disputat XXII, 31. „Omnium prope annales Fabium Dictatorem adversus Anibalem rem gessisse tradunt. Coelius etiam eum primum a populo creatum Dictatorem scribit. Sed et Coelium et ceteros fugit, uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, ius fuisse dicendi Dictatoris: quam moram quia territa iam clade civitas non poterat, eo decursum esse, ut a populo crearetur qui Prodictatore esset;

res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentes titulum imaginis posteros, ut Dictator Prodictatore diceretur, facile obtinuisse." De prima Fabii Dictatura memoratu dignum, quod Plutarchus in Fab. Max. c. 3. Fabium dictatorem a senatu petivisse, ut equo sibi in exercitu vehi liceret; nam ad eum diem usque lege quadam antiqua Dictatorem in exercitu equo vehi vetitum fuisse.

Cos. V. Quinquies consulem fuisse etiam Plutarchus (in Fab. c. 2.) tradit, Secundum Fastos Capitolinos (pag. 37. 38.) Consul primum erat a. u. c. 520.; iterum 525; tertium (postquam inter alterum et hunc tertium consulatum bis Dictator fuit) 538 continuo post Cannensem cladem, suffectus in locum Claudii Marcelli vitio creati (Liv. XXIII, 31.); quartum 539 cum Claudio Marcello; quintum 544. — *Censor* Fabius Maximus in Fastis Capitolinis anno u. c. 523 cum Sempronio Tuditano assignatur, inter primum igitur eius et secundum consulatum. De hac eius censura, ut de magistratibus qui proxime memorati subsequuntur, Interregis, Aedilis curulis, Quaestoris, Tribuni militum, nihil apud rerum scriptores traditum comperimus. — *Pontifex* creatus post cladem Cannensem Livius XXIII, 21. „Tres pontifices creati Q. Caecilius Metellus, et Q. Fabius Maximus et Q. Fulvius Flaccus; in locum Scantinii demortui, et L. Aemilii Pauli Consulis et Q. Aelii Paeti, qui ceciderant pugna Cannensi. — *Augur*. Valerius Maximus VIII, 13, 3. „Q. Fabius Maximus duobus et sexaginta annis auguratus sacerdotium sustinuit, robusta iam aetate id adeptus; quae utraque tempora si in unum conferantur, facile seculi modum expleverint." Idem fere tradunt de hac re Livius XXIII, 26. Plinius Hist. nat. VII, 49. qui quidem adeo sexaginta tribus annis Fabium Augurem fuisse scribit.

Primo consulatu ... triumphav. Plutarch. Fab. Max. cap. 2. *Πέντε δ' ὑπατειῶν, ἃς ὑπάτευσεν, ἡ πρώτη τὸν ἀπὸ Λιγύων θρίαμβον ἔσχεν. Ἡττηθέντες γὰρ ὑπ' αὐτοῦ μάχῃ καὶ πολλοὺς ἀποβαλόντες εἰς τὰς Ἄλπεις ἀνεστάλησαν καὶ τὴν προίσοικον ἐπαύσαντο τῆς Ἰταλίας ληϊμόζενοι καὶ κακῶς ποιοῦντες.* — Jam ante tertii et quarti consulatus mentionem ex temporum ratione sequi debebat Dictatura, cui tamen in elogio tertius consulatus praemittitur. Quae tertium et quartum Consul cum Marcello bella gesserit uberius narrat Livius X, 9 seqq. quocum conferas Plutarchum, qui vivam diversae utriusque ducis indolis imaginem expressit in Fab. Max. cap. 19.

Dictator Magistro eq .... appellatus est. Polybius Hist. III, 103. Magistri equitum cum Dictatoris imperio imperium ita

aequatum dicit, ut bini Dictatores essent. (καὶ δὴ δύο Δικτάτορες ἐγεγόνεισαν ἐπὶ τας αὐτὰς πράξεις, ὃ πρότερον οὐδέποτε συνεβεβήκει παρὰ Ῥωμαίοις); non satis accurate; nam Minucius idem cum Fabio imperium neque vero nomen obtinuit plebiscito, rogante M. Metilio tribuno plebis, C. Terentio Varrone suasore, ut Livius copiosius narrat XXII, 25. 26. Similiter Plutarchus (Fab. Max. cap. 9. *Τὸν Μινούκιον ἐψηφίσαντο τῆς στρατηγίας ὁμότιμον ὄντα, διέπειν τὸν πόλεμον ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐξουσίας τῷ Δικτάτωρι*). Quapropter in elogio *populus* imperium aquavisse recte scribitur. Quod Valerius Maximus (III, 8. 2.) minus accurate scribit, a senatu imperium aequatum esse, nisi memoriae lapsu comiserit, fortasse inde fluxit, quod senatus consulti literis Fabius de illo plebiscito certior factus est. (Liv. l. l. „acceptisque in ipso itinere literis senatusconsulti de aequato imperio“ &.) —*Ab exercitu Minuciano Pater appellatus est*, ita quidem ut Minucius exercitus dux Fabium patrem apellaret: nam milites sui patronos commilitones exercitus Fabiani salutaverunt. Livius (XXII, 29.) Minucium ita dicentem inducit: „ubi ego eum Parentem appellavero, quod beneficio eius erga nos maiestate eius dignum est, vos milites eos quorum vos modo arma dextraeque tenuerunt, Patronos salutabitis. Similiter Plutarch. Fab. cap. 13. Valer. Maxim. V, 2. 4.

Tarentum cepit, triumphavit. Fabius Tarentum dolo et proditione cepit. Uberius rem narrant Livius XXVII, 15. 16. Plutarchus in Fab. cap. 21. 22. De triumpho Tarentino Plutarchus (l. l. c. 23.): *Τοῦτον δεύτερον θρίαμβον ἐθριάμβευσε λαμπρότερον τού προτέρου Φάβιος.*

Dux . . . cautissimus. Conferre invabit Plutarchum in Fab. c 1. qui veram et spirantem indolis Fabianae imaginem proponit; Liviumque XXII, 39. quo loco Fabium in oratione, qua Aemilium Paulum Consulem alloquitur, praeclare de sua belli gerendi ratione disserentem inducit. Idem XXX, 26. hoc de Fabio iudicium fert: „Cautior quam promtior hic habitus fuit, et sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat: sic nihil certius est, quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait.“

Princeps in senatu lectus. Alterius lustri quo Fabius in senatum princeps lectus sit memoria intercidit; alterum Livius XXVII, 11. commemorat: „Creati Censores ambo qui nondum Consules fuerant M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus — Senatus lectionem contentio inter Censores de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat; ceterum Cornelius morem traditum

a patribus sequendum aiebat, ut qui primus censor ex iis qui viverent fuisset, eum principem legerent: is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui Dii sortem legendi dedissent, ei ius liberum eosdem dedisse Deos; se id suo arbitrio facturum, lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanae civitatis esse vel Annibale iudice victurus esset. Quum diu certatum esset verbis, concedente collega lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus Consul." De locutionibus *in senatu* et *in senatum legere* V. supra ad Elog. II.

VIII. C. Marius.

Magisratus ab eo gesti; bini triumphi; Saturninus et Glaucia rem publicam turbantes oppressi; aedes Honori et Virtuti exstructa. Conferendus est similis rerum a Mario gestarum index apud Aurelium Victorem cap. 67. — Vetusta cum hoc titulo tabula non amplius exstat. Sed servata est inscriptio pluribus codicibus manuscriptis Gregorii Redii, quam e basi statuae C. Marii *Aretii* in basilica quondam collocatae desumtam esse iidem ipsi codices testantur. (Gori l. l. pag. 224.) Eundem titulum Dempsterus (Paralipom. ad Rosini Antiq. roman. V, 36.) et (Morcellio l. l. indicante) Gabriel Symeonis in Epitaph. pag. 72. *Arimini* fuisse perhibent, quos quidem viros Gorius, quum in aliquibus codicibus notam *Ar.* invenissent, male interpretatos *Arimini* pro *Arretii*, suspicatur. Fragmentum eiusdem elogii *Romae* vidit et descripsit Smetius in aedibus quondam Pomponii Laeti literis grandibus et formosis incisum, quod testatus est etiam Piccardus in Collectione B. n. 62. Ediderunt elogium: *Gruterus* in Thesaur. p. 436. 3. Ed. Graev. — *Gorius* Inscriptt. etrusc. T. II. p. 248. — *Morcellius* De stil. inscript. pag. 165. Ed. I. pag. 266. Ed. II. — *Orellius* in Collect. N. 543.

C. Marius C. F. Cos. VII. Pr. Tr. pl. Q. Aug. Tr. militum. Extra sortem bellum cum Jugurtha rege Numidiae Cos. gessit, eum cepit et triumphans in secundo consulatu ante currum suum duci iussit. Tertium consul apsens creatus et IIII Cos. Teutonorum exercitum delevit. V Cos. Cimbros fudit. Ex iis et Teutonis iterum triumphavit. Rem-

publicam turbatam seditionibus Tr. pl. et Praetor. qui armati Capitolium occupaverant VI Cos. vindicavit. Post LXX annum patria per arma civilia expulsus, armis restitutus VII Cos. factus est. De manubiis Cimbricis et Teutoniis aedem Honori et Virtuti victor fecit. Veste triumphali, calceis patriciis . . . . Multatius M. F.

Cos. VII . . . . Tr. milit. Aurel, Victor l. l. „Primis honoribus per ordinem functus.“ Primum tribunus militum factus est (Sallust. Bel. Jug. cap. 63.) in bello Numantino sub Scipione Africano imperatore, ut colligi potest ex Plutarcho (Mar. cap. 3.); mox tribunus plebis Caecilio Metello iuvante (Ibid. cap. 4.); post aedilitatem sed frustra petivit (Ib. c. 5.), quapropter neque hoc elogii loco eiusdem mentio reperitur; non multo post praetor creatus sed ultimo loco non sine ambitus suspicione (Ibid. c. 5.), post praeturam Iberiam ulteriorem provinciam sortitus. Valerius Maximus (VI, 9. 14.) de hoc honorum cursu: Marius, inquit, „Arpinatibus honoribus iudicatus inferior, quaesturam Romae petere ausus est; patientia deinde repulsarum irrupit magis in curiam quam venit; in tribunatus quoque et aedilitatis petitione consimilem campi notam expertus, praeturae candidatus postremo loco inhaesit, quam tamen non sine periculo obtinuit: ambitus enim accusatus vix atque aegre absolutionem a iudicibus impetravit.“ Quapropter Viscontius (Iconograph. rom. T. I. p. 99.) non satis recte PR interpretandum esse *Proconsulem*, neque *Praetorem* contendit. De Mario augure nihil usquam compertum habemus. Sed eundem superstitiosum in vaticinationibus omne genus observandis fuisse constat. Plutarch. Mar. cap. 17. 38. 42. — Censoriam dignitatem non est adeptus, qua de re Plutarchus in Mar. cap. 30. haec tradit: *'Ex τούτου* (i. e. Saturnino, Tribuno plebis, et Glaucia praetore interfectis) *τοῖς τε δυνατοῖς ἅμα καὶ τῷ δήμῳ προσκεκρουκώς, τιμητείας παραπεσούσης, ἐπίδοξος ὢν οὐ μετῆλθεν ἀλλ' εἴασεν ἑτέρους ὑποδεεστέρους αἱρεθῆναι, δεδιὼς ἀποτυχεῖν.*

Extra sortem. Sallustius Bell. Jug. cap. 73. „Ita perculsa nobilitate post multas tempestates novo homini consulatus mandatur et postea populus a Tribuno plebis Manlius rogatus, quem vellet cum Jugurtha bellum gerere, frequens Marium iussit. Sed senatus paulo ante Metello decreverat; ea res frustra fuit.“ — *Rege* omittit Boissard. — *Cos.* omittit Gruter. — *triumphans.*

Vellei. Paterculus II, 12. „Secundi consulatus initio Calendis Januariis eum (i. e. Jugurtham) in triumpho duxit.“ Aurel. Victor l. l. „Jugurtham captum ante currum egit.“ — Boissard. addit „*in Jovis,*“ ante verbum *duci.*

Tert. consul apsens creat. Salustius Bell. Jug. cap. 14. „Marius consul absens factus et ei decreta provincia Gallia.“ Quippe Marius adversus Cimbros profectus totum annum in bello apparando ibi consumsit. Sed idem iam secundum Consul contra leges absens creatus erat. Plutarch. Mar. cap. 12. *Καὶ τὸ δεύτερον ὕπατος ὑπεδείχθη τοῦ μὲν νόμου κωλύοντος ἀπόντα καὶ μὴ διαλιπόντα χρόνον ὡρισμένον αὖθις αἱρεῖσθαι, τοῦ δὲ δήμου τοὺς ἀντιλέγοντας ἐκβαλόντος. Ἡγοῦντο γὰρ οὔτε νῦν πρῶτον εἴξειν τῷ συμφέροντι τὸν νόμον, οὔτ᾽ ἀλογωτέρον εἶναι τὴν παροῦσαν αἰτίαν ἐκείνης δι᾽ ἣν τὸν Σκηπίωνα παρὰ τοὺς νόμους ὕπατον ἀπέδειξαν.* — *apsens.* Eadem scriptio pro *absens* in fragmento laudationis funebris aevi Augustei apud Orellium. Inscript. Coll. n. 4859. vers 15

IIII Cos. Teutonorum. Boissard. omittit *Cos.* Reliqua rectius quam apud Aurelium Victorem qui inverso ordine habet: „Cimbros in Gallia apud Aquas Sextias, Teutonas in Italia in Campo Raudio vicit.“ cf. ibid. Interprett. — *Ex ieis* Gruter. *eis* Boissard. — *Teutoneis* Gruter. ut mox *manubieis Cimbriceis* et *Teutonicis.*

Rempubl. turbat. seditionibus Tr. pl. et praetor. Intelligendi sunt Apuleius Saturninus tribunus plebis et C. Servilius Glaucia, praetor. De eadem re Aurelius Victor (l. l.): Usque sextum consulatum per ordinem factus Apuleium Saturninum tribunum plebis et Glauciam praetorem seditiosos ex senatus consulto interemit.“ cf. Vellei. Paterc. II, 12. Valer. Max. III, 2. 18. Plutarch. Mar. cap. 28. 30.

Post LXX annum etc. Haec omnia ex historiae fide atque satis nota Aurelius Victor cap. 67, 4. his verbis persequitur: „Quum Sulpicia rogatione provinciam Sullae eriperet, armis ab eo victus Minturnis in palude latuit. Inventus et in carcerem coniectus immissum percussorem Gallum vultus auctoritate deterruit acceptaque navicula in Africam traiecit: ibi diu exulavit. Mox Cinnana dominatione revocatus ruptis ergastulis exercitum fecit, caesisque inimicis iniuriam ultus septimo consulatu, ut quidem ferunt, voluntaria morte decessit.“ Reliquorum scriptorum locos Interprett. Aurel. Victoris indicant.

De manub. Cimbric. Aliqui codd. Gorio teste: *virtute et victor.* tanquam templum etiam *Victoriae* dedicatum esset, quod secus

est. De hac aede a Mario facta Vitruvius III, 1. (cap. 2, 5. Ed. stereotyp. Lips.): „Peripteros autem erit, quae habet in fronte et postico senas columnas in lateribus cum angularibus undenas,... quem admodum est in porticu Metelli, Jovis Statoris Hermodi, et *ad Mariana Honoris et Virtutis sine postico a Mutio facta.*" Tum Libri VII Praefat. § 17. C. Mutii architecti scripta desiderans, qui, inquit, magna scientia confisus aedes Honoris et Virtutis Marianae cellae columnarumque et epystiliorum symmetrias legitimis artis institutis perfecit. Id vero si marmoreum fuisset, ut haberet, quemadmodum ab arte subtilitatem sic ab magnificentia et impensis auctoritatem, in primis et summis operibus nominaretur." cf. O. Müller Handbuch der Archaeologie § 188. 2. — *Aedem fecit* ex eadem loquendi consuetudine, qua in omne genus monumentorum et aedificiorum inscriptionibus, scribi solet: *fecit, faciendum curavit,* similia.

Calceis patric. Gruter. *puniceis.* Calceamenta coloris purpurei sive punicei, quae mulleorum nomen habebant, a patriciis gestari solita constat, neque tamen ab omnibus sed ab iis, qui curulem magistratum cepissent: nam ceteris patriciis calcei erant ex nigra aluta lunulis ornati. Quanquam alii aliter de hoc calceorum genere statuunt. cf. Becker in Pauly Realencyclopaed. s. v. *Calceus.* Gorius haec verba *veste triumphali* cet. cum proxime antecedentibus coniungit, ut Marium triumphali veste et calceis patriciis indutum aedem Honoris et Virtutis dedicasse intelligat. Sed hoc sensu non *fecisse* sed *dedicasse* aedem hoc loco scribendum erat. Quapropter hactenus certe quidem Morcelli ratio, quam etiam Orellius sequitur, magis placet, coniicientis inscriptionem in fine mancam ita fere supplendam esse: „permissu populi omnibus ludis usus est." Possis etiam suspicari hunc Mario honorem in ludis circensibus tributum esse ut postea Cn. Pompeio, de qua re Velleius Patercul. II, 40.: „Absente Cn. Pompeio T. Ampius et T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut is ludis circensibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur." Idem honor iam antea Paulo Aemilio habitus, Aurelio Victore teste. (56, 5. „Ob haec omnia ei a populo et a senatu concessum est, ut ludis Circensibus triumphali veste uteretur.") Alio loco de eiusmodi honore collato nihil quidquam inveni, nisi forte eodem spectat, quod in Livii Epitom. Lib. LXVII legitur." Marius triumphali veste in senatum venit." Sed de clausula inscriptionis omnino non satis constat. Orellius enim adnotat, hic ex alio saxo apud Gorium adhaesisse *Multatius M.' F.* vel potius *M. Ulatius M. F,* Quan-

quam Gorius certis indiciis haec verba inscriptionem clausisse arbitrari videtur, cum haec addat pag. 264. „Sed quod elogium C. Marii Arretii fuerit non leve argumentum esse potest, quod cum fracta sit Tabula marmorea in inferiori parte eo modo ut exhibetur a Grutero pag. 336. 3. fragmentum illud quod deest, ad haec tempora servatur Arretii in Museo Baccio, in quo haec scripta sunt: *M. Ulatius M. F.* quae item leguntur in Codice Redio in fine elogii Marii, quod cum altero Fabii Maximi Arretii in Basilica reperiri dicitur, sed scriptoris incuria aliter scriptum, nempe *Multatius M. F.* pro *M. Ulatius M. F.*"

VIII. Marcus Livius Drusus.

Elogium nihil continet nisi magistratus a Livio Druso gestos, eiusque exitum; ut virum in eo non agnoscas, qui per aliquod tempus tantum in republica valuerit. Aurel. Victor res ab eo gestas his verbis complectitur: „Tribunus plebis Latinis civitatem, plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisit." (De Vir. illustr. cap. 66. ibiq. Interprett.) Insignis elogii brevitas et penuria vel inscriptionem non integram ad nos pervenisse significat, vel si integra est inscriptio, ad diversa hominum de hoc viro iudicia pertinet laudantium, vituperantium. Quapropter fieri potuit, ut qui elogium conscripsit, consulto hanc brevitatem secutus sit. Primus edidit Reines. Synt. Inscriptt. pag. 423, 58. ex collectaneis Piccartianis (cfr. Reines. ad Rupert. p. 406. Rupert. ad Reines. p. 326. et p. 375.); tum Orellius Collect. n. 544. qui lapidem ut Piccartianum suspectum habet. Lapis apud Piccartum Romae fuisse dicitur.

M. Livius M. F. C. N. Drusus, Pontifex, Tr. mil. XVvir stlit. iudic. Tr. pl. Xvir A. D. A. lege sua et eodem anno XV A. D. A. lege Saufelia. In magistratu occisus est.

M. F. Marci Livii Drusi filius, qui C. Gracchi in tribunatu adversarius fuit et a. u. c. 642 Consul; Caii Livii Drusi nepos, iurisconsulti qui etiamsi oculorum acie defectus de iure respondit et libros edidit. De utroque V. Orell. et Baiter Onomasticum Tullian. s. v. v.

Pontifex. Apud Ciceronem Or. De dom. cap. 46. „Tribunus plebis idem esse non potest pontifex? M. Drusus ille clarissimus vir, tribunus plebis pontifex fuit.“ — Pro *XV vir stlit. iudic.* quod sive marmorarii sive describentis librarii errori debetur, scribendum *Xvir.* Fuerunt enim, ut inter omnes constat, decemviri litibus iudicandis, in consilio Praetoris et ipsi magistratus. Heinecc. Antiq. Rom. IV, 6, 9. Ceterum Livium Drusum neque Tribunum militum neque decemvirum litibus iudicandis apud ullum rerum scriptorem praeter hanc inscriptionem commemoratum reperi.

Tr. pl. Xvir. A. D. A. lege sua. Tribunus plebis maxime inclaruit Livius Drusus; sed cum hic titulus nihil praeter magistratus ab eo gestos contineat, de toto eius tribunatu hoc tantum additur, eum *Decemvirum* fuisse *agris, dandis, assignandis.* Quae tribunus plebis vel tentavit vel perfecit, satis commode Zumptius in Annal. Ed. II. p. 94. ad ann. 662. u. c. his verbis complectitur: M. Livius Drusus Trib. pl. iuvenis nobilis et ambitiosus, novis legibus ferendis rempublicam perturbat, quam confirmare volebat. Sempronias leges, *frumentariam agrariam* renovat: *iudiciariam,* qua senatui 300 equitibus aucto, iudicia restituit, utrumque ordinem offendit; dum legem de civitate sociis danda fert, occiditur. Statim leges Liviae abrogantur.“ De legibus agrariis Livii Drusi, quibus agri coloniis deducendis plebi dabantur, rerum scriptores plura tradunt; decemvirum eundem A. D. A. nusquam memoratum inveni; neque tamen contra elogii fidem inde suspicionem moverim. Appian. De bell. civ. I, 35. *τὸν δῆμον.. προθεραπαινων ἐπήγετο ἀποικίαις πολλαῖς ἐς τε τὴν Ιταλίαν καὶ Σικελίαν ἐψηφισμέναις μὲν ἐκ πολλοῦ, γεγονυίαις δὲ οὔπω.* Ibidemque cap. 36. *Οἱ Ἰταλιῶται... περὶ τῷ νόμῳ τῆς ἀποικίας ἐδεδοίκεσαν, ὡς τῆς δημοσίας Ρωμαίων γῆς (ἣν ἀνέμητον οὖσαν ἔτι οἱ μὲν ἐκβίας, οἱ δὲ λανθάνοντες ἐγεώργουν) αὐτίκα σφῶν ἀφαιρεθησομένης, καὶ πολλὰ περὶ τῆς ἰδίας ἐνοχλησομένοι. Τυρρηνοί τε καὶ Ὀμβρικοὶ ταὐτὰ δειμαίνοντες τοῖς Ιταλιώταις* etc. Ceterum plures leges agrarias Livias fuisse ab ipso partim latas partim alliis auctoribus renovatas praeter Appiani locum etiam Aurelius Victor arguit (vir. illustr. c. 66. 9.), qui leges Livii agrarias plurali numero commemorat. et haec inscriptio significat, quae addit eodem tribunatus sui anno Livium Drusum item decemvirum a. d. a. factum esse lege *Saufelia.* Ut enim hoc legis nomen corruptum est, ita legis agrariae nomen eodem latere cogitandum est a Livio Druso renovatae. Rupertus coniicit *Servilia;* male; nam lex Servilia agraria a Servilio Rullo lata, neque perlata in tempus posterius incidit Cicerone Consule, alia eiusdem

nominis antiquior non habetur. Orellius coniicit: *Saufeia,* cogitans fortasse de Saufeio quaestore, Saturnini et Glauciae assecla, neque vero Saufeiae legis agrariae memoria relinquitur. Mihi quidem *Sempronia* lex, h. l. in *Sanfeliam* corrupta videtur: C. enim Sempronius Gracchus legem agrariam tulerat, qualis iam a Tib. fratre lata erat.

In magist. occisus. Cicero (Nat. Deor. III, 33.) a Q. Vario per sicarium ferro sublatum esse refert; Aurelius Victor l. l. caedis invidiam apud Philippum et Caepionem esse; alii scriptores auctorem caedis praetereunt, vel percussorem ignorari dicunt. cf. Vellei. Paterc. II, 12. Senec. De brev. vitae cap. 6. Appian. Bell. civ. I, 36. — Propria est Reinesii de tota hac inscriptione sententia. Is enim (l. l.) coniuncta M. M. Liviorum Drusorum, patris et filii, elogia eadem contineri arbitratur, et patris quidem elogium, qui C. Sempronii Gracchi erga plebem largitiones longe maioribus largitionibus superare studuit, usque ad verba „lege sua“ procedere; reliqua ad filium pertinere. Omnia denique ita refingit atque supplet: M. Livius M. F. C. N. Drusus Pontifex, Tr. mil. XVvir stlit. iudic. Tr. pl. XVvir A. D. A. lege sua in magistratu mortuus est. Et eod. nomine XVvir A. D. A. lege suae familiae, in magistratu occisus est.

IX. L. Licinius Lucullus.

Continet elogium Luculli honores; de Mithridate et Tigrane triumphos; Chalcedonem urbem ab obsidione Mithridatis liberatam. — De lapide cui inscriptio incisa est Gorius (Inscriptt. Etrusc. Tom. II. p. 255.) haec habet: „Tabula marmorea alta pedem romanum 1 et unc. 13, lata ibidem pedem 1, quae exstat in Museo Hieronymi Equitis Baccii (Arretii). Haec quoque marmorea tabula fertur inventa (Arretii) anno 1688 iuxta Portam vulgo appellatam Colcitrone, ac proinde eodem loco et tempore detecta, quo tabula in hororem Valerii Maximi.“ — Ediderunt Gori l. l. Morcell. l. l. p. 268, uterque cum commentario; Orelli. Collect. Inscriptt. n. 545. — cf. Aurel. Victor. De Vir. ill. cap. 74. Drumann. Geschichte Roms etc. Tom. IV. p. 120 seqq.

L. Licinus L. F. Lucullus, Cos. Pr. Aed. cur. Q. Tr. militum, Aug. Triumphavit de rege Ponti Mitridate et de

rege Armeniae Tigrane, magnis utriusque regis copiis compluribus proeliis terra marique superatis. Collegam suum pulsum a rege Mitridate, cum se is Calchadona contulisset, opsidione liberavit.

Cos. Consul Lucullus fuit cum Aurelio Cotta a. u. c. 679. secundum Fastos Capitolin. (ante Chr. 74) de quo eius consulatu Cicero Acad. Quaest. II, 1.: „Consulatum ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoscerent. — *Praetor* fuit a. u. 676 Cic. Acad. l. l. — *Aedilis curulis* a. u. 675 una cum Marco fratre, absens creatus. Cicero l. l. Plutarch. Lucull. cap. 1., quod munus insigni magnificentia gessit. Cic. Off. II, 16. — *Quaestor.* Lucullus pro quaestore Alexandriae fuit. Cic. Acad. II, 4. Quae egregie in Sullae exercitu quaestor gesserit, Plutarchus uberius narrat l. l. cap. 2 seqq. Aurelius Victor (l. l. qui Lucullum „munus quaestorium amplissimum dedisse“ scribit, quaestorium cum aedilitio munere confudit. — *Tribunum militem* et *Augurem* Lucullum alio loco praeter hanc inscriptionem commemoratum non invenio. Tribunum militum in bello Marsico factum esse, probabile est, in quo iuvenis militiam capessivit. Plutarch. Lucull. cap. 2.

Triumphavit a. u. c. 690 a. Ch. 63 postquam tribunis plebis impedientibus per tres annos frustra hunc honorem a senatu sibi decretum exspectavit. Copiosius triumphum describit Plutarch. l. l. cap. 37. aliorum scriptorum locos collegit Drumann. l. l. p. 162. — *cum se is Calchadona etc.* Aurel. Victor l. l. „Adversus Mithridatem missus collegam suum Cottam Chalcedone obsessum liberavit.“ Ibique Interprett. et Drumann l. l. p. 129.

X. C. Octavius.

Commemorantur Octavii genus, honores, imperatorium nomen in Macedonia partum. Tribunum militum, quaestorem, iudicem questionum Octavium fuisse alio loco praeter hanc inscriptionem non legimus. De eius vita accurate egit Drumann (Geschichte Roms etc. Tom. IV. pag. 229. nr. 14). — Lapis Romae repertus est. In eadem basi, quae hanc inscriptionem prae se fert, una cum Octavii etiam Julii Caesaris statua collocata erat, ut patris

adoptivi cum naturalis patris memoria coniungeretur. Quod quidem patet ex alterius in eadem basi inscriptionis vestigiis, quae praeter Caesaris nomen paucas tantum literas servant. Similiter Pauli Aemilii et Scipionis in eadem basi statuae coniunctim positae habebantur, illae quidem, si Morcelli coniecturae fides habetur, et ipsae in foro Augusti collocatae. cf. infra n. XVIII. — Ediderunt hoc Octavii Elogium: *Gruterus* in Thesaur. p. 225. n. 7. *Cardinali* Iscriz. Veliter. pag. 74. *Morcelli* l. l. pag. 268. *Orelli* Coll. N. 592.

C. Octavius C. F. N. C. Pron. Pater Augusti, Trib. mil. bis Q. Aedilis pl. cum C. Toranio, Judex quaestionum, Pr. Procos. Imperator appellatus ex provincia Macedonia.

C. F. Caii filius, de quo Suetonius (Octav. cap. 2.): Avus (Augusti) municipalibus ministeriis contentus, abundante patrimonio tranquilissime senuit. — *C. N. Caii nepos*. Suetonius l. l. „Proavus Augusti secundo punico bello stipendia in Sicilia tribunus militum fecit, Aemilio Pappo imperatore." Post infaustum proelium Cannense inter eos numeratur, quibus satis virium vel animi restabat, ut Canusium perfugerent. Frontin. Stratag. IV, 5. 7. — *C. Pron. Caii pronepos*. C. Octavius Cnei Octavii Rufi filius intelligendus est. Suetonius l. l. „Is (i. e. Cn. Octavius Rufus) quaestorius Cneum et Caium procreavit, a quibus duplex Octaviorum familia defluxit conditione diversa. Siquidem Cneus et deinceps ab eo reliqui omnes functi sunt honoribus summis. At Caius eiusque posteri seu fortuna, seu voluntate in equestri ordine constitere usque ad Augusti patrem."

Augusti pater. Verbi *Divi* omisso colligitur inscriptionem ante Augusti obitum confectam esse. — *Trib. mil. bis Q. Aedilis pl. c. C. Toranio*. Apud Gruterum litera Q cum praecedente *bis* continuatur, ut sit *bisque Aedilis plebis*. Sed nostra lectio Hagenbuchii apud Orellium coniecturam et auctoritatem Morcelli sequitur. De stipendiis, quae Octavius Tribunus militum fecit et de quaestura eiusdem nihil alias commemoratur, ut non liquido constet, utrum *bis* cum antecedente (Trib. mil.) an cum subsequente (Quaestor) copulandum sit. Suetonius (in Octavian. cap. 3.) in universum commemorat, Octavium honores et adeptum esse facile et egregie administrasse; disertis verbis nullos alios honores nisi praeturam Macedoniae nominat. — *Aedilis pl. cum C. Toranio.*

Suetonius in Octav. cap. 27. „Proscripsitque (Augustus) etiam C. Toranium tutorem suum, eundemque collegam patris sui Octavii in aedilitate."

Judex quaestionum. Madvigius (de Ascon. Pedian. pag. 121.), cum iudex *quaestionis* singulari numero, neque iudex *quaestionum* plurali numero dici soleat, huius loci causa integram inscriptionem suspectam habet. Sigonius (De iudiciis II, 5.) eodem loco utitur ad sententiam suam confirmandam, qua statuit, iudicis quaestionis munus post aedilitatem capi consuevisse. — *Pr. praeter.* Velleius Paterc. II, 59. „Hic (C. Octavius) praetor inter nobilissimos viros creatus primo loco." Cicero Epist. ad Quint. fratr. I, 1, 7. rationem, quam C. Octavius in praetura administranda secutus est, ita describit: „His rebus (i. e. constantia, gravitate, adiuncta facilitate et lenitate) nuper C. Octavius iucundissimus fuit; apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus; quoties quisque voluit, dixit et quam voluit diu. Quibus ille rebus fortasse nimis lenis videretur, nisi haec lenitas illam severitatem tueretur, Cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant. reddere; qui in magistratibus iniuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat iure parendum. Haec illius severitas acerba videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur."

Proconsul. Anno praeturam proxime sequente (63 a. Ch.) Octavius Macedoniam administrandam cum proconsulari potestate obtinuit, C. Antonii ibidem successor, Suetonius in Octav. cap. 3. „Ex praetura Macedoniam sortitus fugitivos, residuam Spartaci et Catilinae manum, Thurium agrum tenentes in itinere delevit, negotio sibi in senatu extra ordinem dato. Provinciae praefuit non minore iustitia quam fortitudine. Namque Bessio ac Thracibus magno praelio fusis, ita socios tractavit, ut epistolae M. Tulii Ciceronis exstent, quibus Quintum fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiae administrantem, hortatur et monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium." cf. Cicer. Epist. ad Quint. frat. I, 2. 2.

Imperator appellatus. Velleius Paterc. II, 59. „Sortitus Macedoniam, appellatusque in ea Imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit." Imperatòris nomen nactus est ob Bessos et Thraces victos, qui Haemi montibus muniti provinciam haud raro lacessebant, eamque administrantibus magistratibus multifariam belli gerendi et praedae faciendae occasionem praebebant.

XI. L. Munatius Plancus.

Continet elogium Munatii Planci stemma, honores, triumphum, aedem Saturni ab eodem dedicatam, agros veteranis divisos, colonias Lugdunum et Rauricam deductas. In honoribus enumerandis praetereuntur Praefectura urbis, praetura, alter consulatus. — Insculpta habetur inscriptio mausoleo Munatii, quod Caetae exstat. Ediderunt *Ald. Manutius* Orthograph. *Gruterus* in Thes. p. 439. n. 8. *Montfaucon* Antiq. expl. Tom V, p. 128. *Schoepflin* Alsat. illustr. I, p, 154. qui de monumento transcripsit; *Morcelli* l. l. p. 166. Ed. I, p. 270. Ed. II. *Orelli* Collect. N. 590. — De Munatii Planci vita imprimis Schoepflinus accuratissime exposuit l. l. p, 152. cuius lucubrationem in usum suum convertit Viscontius (Iconograph. rom. T. I, p. 229.), Drummanus autem (Hist. rom. T. IV, p. 207. n. 10.) in Munatii vita enarranda male neglexit. — Cum inscriptio mausolei sit, forte quis non tam elogiis quam titulis sepulcralibus adnumeret. Sed eadem quod neque obitus neque annorum Munatii mentionem facit, neque omnino titulorum sepulcralium sed plane elogiorum formam refert, cum Morcello, Orellio aliis elogiis adscripsimus. Morcellus hanc inscriptionem elogii exemplum eius esse suspicatur, quod statua Planci in foro Augusti posita contineret.

L. Munatius L. F. L. N. L. P. Plancus, Cos. Cens. Imp. iter. VIIvir epul. Triump. ex Raetis. Aedem Saturni fecit de manibiis. Agros divisit in Italia Beneventi. In Gallia colonias deduxit Lugdunum et Rauricam.

L. F. Lucii filius. Lucius pater is est, quocum Cicero magnas et veteres et iustas sibi fuisse scribit ad L. Plancum filium Epp. ad. Attic. XVI, 16. Praeterea nihil quidquam neque de Lucio Planci patre, neque de avo aut proavo compertum habemus.

Cos. Designatus consul erat Plancus cum D. Bruto in annum post Hirtium et Pansam consules (Cic. Ep. famil. XII, 10. aliis locis); sed post defectionem Aemilii Lepidi a senatus partibus ad Antonium, quem et Plancus secutus est, consulatum gessit non cum D. Bruto sed cum Aemilio Lepido (42 a. Ch.) eodem, quo Tiberius natus est, anno (Sueton. Tiber. cap. 5.) Posteriori tempore iterum consul erat Plancus sed suffectus; neque de huius

consulatus anno certo constat. Plinius (hist. nat, XIII. 5.) bis consulem Plancum commemorat. In fastis Capitolinis hac parte lacuna est; fasti Siculi et Cassiodorus alterum Munatii consulatum anno urbis 717 assignant.

Cens. Censor fuit cum Paulo Aemilio Lepido (a. a. Ch. 22). Ultimi adepti sunt censuram privati homines, quae deinde intra domum regnatricem permansit. Dio Cass. LIV, 2. *Ἔσχατοι οὗτοι τὴν τιμητείαν ἰδιῶται ἅμα ἔσχον.* De utriusque censura Velleius Paterculus (II, 95.): Censura Planci et Pauli acta inter discordiam neque ipsis honori neque reipublicae usui fuit, cum alteri vis censoris, alteri vita deesset: Paulus vix posset implere censorem, Plancus timere deberet, nec quidquam obiicere posset adolescentibus, aut obiicientes audire, quod non agnosceret senex."

Imp. iter. Imperatorium nomen primum obtinuit in Gallia transalpina, quam a Julio Caesare dictatore sibi demandatam administravit, idemque Cicero in epistolis ei tribuit. (Epp. famil. X, 8. 24.) Quo tempore Plancus iterum Imperator appellatus sit, non satis constat. Probabile est, id tum temporis esse factum, cum Antoniani exercitus partem contra Octavianum duceret: nam Antonii nummus Planci nomen addita nota IMP. ITER. habet. Eckhel Doctr. num. Tom. V, p. 257.

VII vir epulonum Ad hanc dignitatem sacerdotalem referendus est gutti sacrificalis insigne, quod ille Antonii nummus nomini Planci additum habet, itemque alius nummus, in quo Plancus Praefectus urbis appellatur. Eckhel l. l.

Triump. ex Raetis. In fastis Capitolinis a. u. 710 triumphus Planci de Gallis, neque de Raetis habitus memoriae proditur Quem quidem disensum Drumannus ita conciliaturus est, ut statuat, expeditionem factam esse a Planco contra gentem aliquam Alpinam ab aliis adnumeratam Gallis, ab aliis vero Raetis. Sed Schoepflinus binos Planco triumphos tribuit, alterum de Gallis a. u. 710 habitum, in hac inscriptione praetermissum; alterum de Raetis cum Tiberio a. u. 740 reportatum. *Raetis* sine aspiratione dedit iam Ald. Manutius in Ortograph. rat. s. v. ubi ad hanc scriptionem confirmandam hoc elogium affert; item Gruterus et Schoepflin. Alii: *Raetia*, vel *Rhetis*.

Aed. Saturni fecit. Suetonius (Octav. cap. 29): „Principes viros saepe hortatus est (Augustus), ut pro facultate quisque monumentis vel novis vel refectis et excultis urbem adornarent. Multaque a multis exstructa sunt, sicut . . . a Munatio Planco aedes Saturni." Etiam Dio Cass. LIV, 18. Augustum iis qui tri-

umphum reportassent, auctorem fuisse narrat, ut operibus publicis rerum a se gestarum memoriam servarent. Schoepflinus contra hanc aedem Saturni post triumphum alterum de Raetis reportatum exstructam putat, eodemque refert inscriptionem in marmorea trabe Romae repertam, a Pighio in Analib. pag. 481. ad an. 711. editam, quae ita habet: „L. Plancus L. F. Cos. Imp. iterum, de manib.“ Eadem inscriptio Romae in lamina aere apud Caylum (Recueil T. III, p. 251.) reperiri dicitur; quam et Orell. recepit Collect. n. 591.

Agros div. Beneventi. Puta veteranis. De eadem re, ut videtur, Cicero scribit ad Munatium Plancum Epp. fam. X, 22. tum temporis tamen nondum ad exitum perducta; nec minus Plancus ad Ciceronem (Ibid. X, 24.). Neutro autem loco Beneventi mentio fit. Morcellius ad h. l. laudat *Vitam* in Antiquitatt. Benevent. Tom. I, p. 35. qui quidem uberius de hac re agens hanc agrorum divisionem in veteranorum gratiam Julio Caesare auctore per Plancum factam esse arbitratur ante an. u. c. 711 in quem annum Lugdunum colonia deducta incidit; indeque Beneventum coloniae Juliae nomen nactum esse. Beneventum autem coloniam veteranorum deductam esse ante coloniam Lugdunensem potissimum inde colligit, quia Beneventi commemoratio Lugduni et Rauricae commemorationem in hoc titulo praecedat: nam rerum scriptores qui quidem supersunt de temporum ratione accuratius non tradunt.

Colon. deduxit Lugd. et Raur. Senec. Epist. 91. in qua Lugdunensis coloniae incendium deplorat: Huic, inquit, coloniae ab origine sua centesimus annus est, aetas ne homini quidem extrema. A Planco deducta in hanc frequentiam loci oppurtunitate convaluit.“ Dio Cassius (XLVI, 50.) Munatium Plancum et Aemilium Lepidum coniuncta opera senatu auctore Lugdunum coloniam deduxisse narrat. — *Rauricae* nomen eadem forma habet etiam inscriptio prope Basileam inventa apud Orellium N. 432. Apud Plinium Hist. nat. IV, 12. est *Rauricum* apud Ammianum Marcell. IV, 10. *Rauracum;* apud Ptolemaeum demum *Augusta Rauracorum* appellatur. Rauricam coloniam fuisse eamque a Planco deductam nonnisi ex hoc elogio compertum habemus. De anno quo Lugdunum et Raurica deducta sint, alii aliter statuunt, quorum sententias persequitur Schoepflinus l. l. pag. 156. Ex ipsius sententia Raurica colonia viginti octo annis post Lugdunum coloniam deducta est, an. u. c. 740. Lentulo et Licinio consulibus, bello contra Raetos confecto, quum Augustus Dione Cassio teste

(LIV.) in Gallia moraretur pluresque ibique colonias conderet. Neque vero haec res certis argumentis ad liquidum perduci potest.

Ad comparandum antiquorum elogiorum simplicitatem cum verbositate recentiorum, non alienum duxi infra Munatii Planci elogium addere a Beato Rhenano conscriptum (anno 1528), quod basis statuae Planci in curia Basileensi positae insculptum habet: „L. Munatio Planco, civi romano, viro consulari et praetorio, oratorique ac M. Ciceronis discipulo, qui post devictos Rhaetos aede Saturni de manubiis exstructa non modo Lugdunum sed et Rauricam coloniam deduxit, quae Augusta fuit appellata ab Octavio Augusto tum rerum potiente S. P. Q. Basileensis; tametsi Alemanorum transducti coloni subactis ac depulsis Rauricis, amore tamen virtutis quae etiam in hoste venerationem meretur, vetustissimo tractus huius illustratori culpa temporum prorsus abolitam memoriam postliminio renovarunt. Anno M.D.XXVIII."

XII. Aeneas.

Lacerum hoc fragmentum in museo regio Neapolitano asservatum Avellinus edidit in Bulletin. napolit. n. XL. 1845 et quae inclinatis literis expressa damus, supplevit. Transscriptum est in Bulletin. archeolog. Roman. 1845. pag. 23.

Aeneas *filius Ven*eris et Anchisae *Dard*anos qui capta Troia superfuerunt in Italiam *adduxit* ..... Dein*de quum subito* non comparuisset *dictus* est Indigens *et in deorum* numero relatus.

Pone verbum *addux*it lacuna est sex septem versuum, quae nonnisi incerta paucarum literarum vestigia continet.

XIII. Camillus.

Fragmentum lapidis Florentiae est; Gorii certe quidem aetate ibi erat (Inscriptt. Etrusc. pag. 417; Gorius l. l. Morcellius De stilo inscript. pag. 366. Ed. 1. Orellus N. 536.

....Veios post urbem captam commigrari passus non est. Etruscis ad Sutrium devictis, Aequis et Volscis subactis tertium triumphavit. Quart ... se Velitern....

Veios, hac ipsa urbe capta, Romani commigrare cogitabant (Plutarch. Camill. c. 11.) atque iterum Roma urbe a Gallis capta (Plutarch. l. l. cap. 31. & 32.): utroque tempore Camillus hoc fieri non est passus. cf. Liv. V, 30.

Etruscis ad Sutr. devict. devict. Aequis etc. De his bellis Plutarchus narrat l. l. cap. 33—37. — *Tertium triumph.* Camillus in universum quatuor triumphos reportavit; eundem cuius hic mentio fit tertium commemorant Livius VI, 4. (Camillus triumphans in urbem rediit, trium simul bellorum victor) et Plutarch. Camill. cap. 36.

Quart. Reinesius in hunc modum supplet: „Quartum de Gallis Senonibus Veliternis deditione receptis." Livius VI, 42. de eadem re haec tradit: „Quum praeter Velitrarum obsidionem, tardi magis rem exitus quam dubii, quintae externae res Romanae essent: fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem, ut M. Furius dictator quintum diceretur ..... Nec dubia nec difficilis Romanis victoria fuit .... Dictatori consensu Patrum plebisque triumphus decretus."

XIIII. L. Albinius.

Elogii fragmentum primus edidit *Ald. Manutius* in Orthogr. Rat. s. v. *Sollemne*, nihil adnotans unde sumserit; secuti sunt *Gruterus* Thes. pag. 492. N. 7. qui adnotat, inscriptionem esse Romae supra testudinem S. Mariae rotondae; *Fabretti* Dissertat. De aquis et aqueduct. I. pag. 54. (addens: hoc lapidis quantivis pretii fragmentum pavimento superioris et subdialis ambulationis circa hemisphaerium Pantheonis postea insertum esse) idemque Inscriptt. pag. 751. 584. *Murator.* pag. 172, 4. et p. 491, 1. iterata vice; *Borghesi* in Giornale Arcadico 1819 Tom I, pag. 53., qui fragmentum perperam pro inedito habet; *Orelli* Coll. N. 537 Atque is quidem hoc elogium in honorem Flaminis Quirinalis confectum esse arbitratur, qui Roma a Gallis capta, cum virginibus Vestalibus, ut Livius (V, 40.) narrat, sacra partim defodit partim secum tulit. Sed Fabretto auctore maluerim de L. Albinio intel-

ligere, qui virgines sacraque in plaustrum suum imposuit et Caere pervexit. Sed Livium audiamus ita narrantem (l. l.): „Flamen interim Quirinalis virginesque Vestales omissa rerum suarum cura, quae sacrorum secum ferenda, quae (quia vires ad omnia ferenda deerant) reliquenda esse consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, ubi nunc religio est despuere, defodere; cetera inter se onere partito ferunt, via quae sublicio ponte ducit ad Janiculum. In eo clivo eas quum L. Albinius, de plebe romana homo, conspexisset, plaustro coniugem ac liberos vehens inter ceteram turbam quae inutilis bello urbe excedebat: salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum religiosum ratus sacerdotes publicos sacraque populi romani pedibus ire ferrique, se ac suo in vehiculo conspici; descendere uxorem ac pueros iussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit, et Caere, quo iter sacerdotibus erat, pervexit."

.... adorent capitolin ..
.... stales Caere deduxit
.... que ritus sollemnes ne
... rentur curai sibi habuit
.... erata sacra et virgines
..... exit ...

Lin. 1. Gruter... *iderint capitolium.* Murator... *rni Capitolini.* — lin. 2. Muratori 1. *vestales.* — lin. 3. Murator 1. *qui ritus.* — lin. 4 ... *quentur curai.* Gruter. lin. 5. Gruter ... *oerata sacra.* Murator 1. *venerata.* Murator. 2 ... *derata.* — lin. 6. Fabretti ... *xit* pro ... *exit.* Murat. 1. plane non habet; altero loco habet ... *exit,* neque vero ab initio, sed in fine versus.

XV. Papirius Cursor.

Primus edidit hoc fragmentum Gruterus pag. 298, 4. hac adnotans: „Romae apud Fulvium Ursinum in fragmento parvae tabellae litera optima atque antiqua, videturque ab aliquo familiae Fabiae studioso Augusti imperatoris aevo vel posita vel renovata."

Neque tamen in Fabii quàm potius Papirii Cursoris honorèm elogium conscriptum est. Exhibent Morcellus quoque Stil. lapid. pag. 364. Ed. I. et Orellius Collect. N. 540. qui quidem laudat Borghesi Nuovi Fasti Kap. 2. p. 12.

. . . . . bello Samnitium cum auspicI repetendi causa Romam redIsset, atque interim Q. Fabius Ambustus Maximus, magister equitum, iniussu eius proelio conflississet.....

De Papirio Cursore Dictatore, cuius severitatem Q. Fabius, magister equitum, quamvis felice successu contra eius imperium committens vix effugit, insignis narratio est Livii VIII, 30 seqq. Ad elogii brevitatem accedit Aurelii Victoris De vir. illust. cap. 31, quod Papirii res gestas complectitur. — *Q. Fabius Ambustus* Maximus idem qui et Q. Fabius Rullianus Maximus dicitur et primus Maximi cognomen familiae suae intulit. V. Aurel. Victor. cap. 32. ibique Interprett.

XVI. L. Aemilius Paulus.

Fragmentum elogii primus edidit Gori Inscriptt. Etrusc. T. II, p, 244., de lapide haec addens: „Marmoris fragmentum, quod ad hanc diem visitur caemento inclusum in parastata xysti maioris plateae Arretii; altum ped. roman. 1. unc. 11, latum unc. 13.“ In Collectionem recepit Orellius N. 542. Cum hoc elogio cf. Aurelius Victor. De vir. illustr. cap. LVI.

L. Aemilius L. F. Paullus Cos. II. Cens. Interrex. Pr. Aed. cur. Q. Tr. mil. tertio Aug. Liguribus domitis priore consulatu triumphavit. Iterum Cos. ut cum rege . . . . . se bellum gereret ap . . . . ctus est copias reg . . . . us quibus . . . . ac . . . de i . . . . s cei . . . .

Cos. II. Consul fuit 569 u. c. idemque 586 u. c. — *Censor.* Valer. Max. VII, 5, 3. „Quum iam campum repulsis suis fatigasset, bis consul et censor factus, amplissimum dignitatis gradum obtinuit.“ — *Interrex* quando fuerit aut omnino fuisse praeter

hunc elogii locum memoriae proditum non invenio. — *Praetor.* De praetura Pauli Plutarchus in eius vita cap. 4. „ἀνέστη πόλεμος ἐν Ἰβηρίᾳ κινημάτων μεγάλων γενομένων. Ἐπὶ τοῦτον ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς οὐχ ἓξ ἔχων πελέκεις, ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα. Praetor in Hispania victoriam reportavit, propter quam supplicatio a senatu decreta est, Livio testante Lib. 37. cap. 58.

Aedil. curul. Plutarchus Aemil. Paul. cap. 3. *Πρώτην γοῦν τῶν ἐπιφανεῶν ἀρχῶν ἀγορανομίαν μετελθὼν προκρίθη δέκα δυεῖν ἀνδρῶν συναπογραψαμένων, οὓς ὕστερον ἅπαντας ὑπατεῦσαι λέγουσι.* — De quaestura Pauli et munere tribuni milit. nihil aliis locis reperi. — *Augurem* rebus divinis summa cum cura operam dedisse Plutarchus l. l. qui eum dicit *ἱερωσύνην τῶν ἀκροτάτων μίαν ἀποφῆναι τεχνῶν, καὶ μαρτυρῆσαι τοῖς φιλοσόφοις ὅσοι τὴν εὐσέβειαν ὡρίσαντο θεραπείας θεῶν ἐπιστήμην εἶναι.* Idemque Paulum *φιλοθύτην καὶ μαντικὸν* apellat cap. 17.

Liguribus domitis. De hoc bello et insequente triumpho uberius narrant Livius XL. 25. seq. et Plutarchus in Aemil. c. 6. Etiam apud Aurelium Victorem l. l. Aemilius primo consulatu de Liguribus triumphasse commemoratur. Quanquam Interpretes ad h. l. observant, non consulem, sed insequenti anno prorogato imperio Paulum hunc triumphum egisse. Neque vero hoc alieni quidquam habet: ut enim Perizonius Animadvers. hist. Cap. VII. pag. 309. demonstrat, haud raro homines Consulares ac Praetorii apud veteres rerum scriptores Consules et Praetores vocantur.

Iterum Consul. Quae proxime sequuntur tam lacera sunt, ut varia coniectando proferri possint, sed verba elogii intercepta certis rationibus restitui nequeant. Hoc tamen patet, commemoratum ibi fuisse bellum contra Perseum et insequentem triumphum, de quibus copiosius exponunt Livius XLIV, 18. seqq. Plutarchus in Aemil. cap. 10. seqq.

XVIII. L. Aemilius Paulus et P. Cornelius Scipio Africanus minor.

Edidit primus Gruterus pag. 298, 2. haec adscribens: „In foro romano e regione porticus Antonini et Faustinae in saxis Tiburtinis, e fornice cloacae maximae extractis; litera corectissima.“

Morcellus (De stil. lapid. I, 1. 5. pag. 160. Ed. I.) de eadem inscriptione: „Titulos autem statuis hisce (puta virorum illustrium in foro Augusti positis) subscriptos esse ex Plinio disco, qui de Scipione Aemiliano haec prodidit (Hist. nat. XXII, 6.): Amilianum quoque Scipionem, Varro auctor est, donatum obsidionali in Africa Manlio Cos. tribus cohortibus servatis, totidemque ad servandas eas eductis. Quod et statuae eius in foro suo Divus Augustus adscripsit. Cuius ego elogii partem esse arbitror exemplum illud Gruterianum quod in foro repertum est; unde et hoc discimus Aemilium patrem et Scipionem filium e marmore expressos una in basi stetisse.“

L. Aem ... ius L. F. Paullus Co ... Cens. Augur tr . . umphavit ter.	P. Cornelius Paulli F. Scipio Africanus Cos. II. Cens. Augur, triumphavit II.

In Aemilio Pauli elogio *Cos. II* supplendum est; neque literae ceterae quae interciderunt dubiae esse possunt. Sed dubitationem movet, quod Paulus h. l. ter triumphasse perhibetur, contra plurimorum scriptorum fidem, apud quos bini tantum triumphi in utroque Pauli consulatu numerantur. Quam quidem quaestionem accurata tractatione exigit Perizonius Animadv. historic. Cap. VI. pag. 212. Res enim ita se habet. Ter triumphasse Aemilium Paulum praeter hoc elogium Velleius tantum Paterculus I, 9. tradit, quippe qui iam Praetorem triumphum reportasse scribat, atque denarii aliquot familiae Aemiliae indicare videntur, in quibus effigies Pauli tropaeum erigentis conspicitur, scripto supra tropaeum TER, infra PAVLLVS. Sed Perizonius certis rationibus demonstrat contra Pighium, Lipsium, Valesium qui ternos Pauli triumphos statuunt, primum tropaei insigne non triumphum indicare sed honorem triumpho minorem quum qui hostem fugasset tropaeum mereretur, sed nonnisi qui ad internecionem vicisset triumphum; deinde Velleii testimonio obstare Fastorum Capitolinorum, Livii, Plutarchi, Aurelii Victoris auctoritatem, qui Paulo tantum duplicem triumphum in utroque consulatu assignent, in Praetura vero nonnisi supplicationem. Inde concludit: hunc, qui istam L. Pauli statuam isto titulo inscripserit nimis favisse sui gentilis laudi et tres eius triumphos in monumento iactasse, sive quod facile se persuasurum et aequalibus et posteris existimaverit, quia vere L. Paulus post Praeturam in Hispania magnam de hostibus victoriam, propter

quam supplicationes decretae sint, reportaverit, sive quod vere ita factum errore nominis deceptus putaverit, quandoquidem eodem anno, quo L. Aemilius Paulus ex Hispania redierit, vere quidam L. Aemilius triumphaverit, sed non *Paulus*, verum *Regillus*, nec de Hispanis sed rege Antiocho.

P. Cornelii Scipionis Aemiliani Africani minoris statua in eadem basi collocata erat, quemadmodum supra Octavii et Julii Caesaris statuas in eadem basi coniunctim positas fuisse observavimus. *Consul* bis fuit, primum 147 ante Christ. quum aedilitatem petenti consulatus ultro daretur (Liv. Epit. XLVIII. Appian. VIII, 112.), atque iterum 134 a. Ch. 620 u. c. ad bellum Numantinum perficiendum. (Cic. De rep. VI, 11. Valer. Maxim. VIII, 15, 4.) — *Censor* factus est 142 ante Christ. quem magistratum antiqua severitate gessit. (Aul. Gell. IV, 20. Val. Max. VI, 4, 2.) — De *Auguratu* Scipionis praeter hoc elogium nihil compertum habemus. — *Triumphavit bis*: primum de Carthaginensibus (Appian. VIII, 135.) iterum de Numantinis (Appian. VI, 98. Flor. II, 18.)

XVIIII. Fragmentum incertum.

Enumerat Orellius Collect. N. 538. inter elogia. Primus edidit Apianus (p. 231, 1.) adnotans: „Elogium ex saxo fracto apud aedes Cardinalis Reatini.“ Habet etiam Gruterus (pag. 493, 2.) qui ita designat: „Non procul a Pantheo e regione domus Capranicae fragmentum marmoreum optima litera.“ Siquid in re tam obscura coniicere liceret, potius ad laudationem aliquam funebrem pertinere putaverim. Quum fragmenti verba interpungi non facile possint, literas maiores et scribendi rationem, quae apud Apianum est, servari placuit.

. . . CONSILIIS PVALIIS COS AN
NEM EXPLETVRVS APPII CLAV
DII MORTEM EIUS PER CON
SILIVM OMNES LVXERVNT
CENSVRAM INSIGNIBVS DE
CORATAM QVAM . . . . .

Gruterus vers. 1. habet CON. — vers. 2. APPII CLAVDII

omittit. — v. 3. CON reliqua vocabuli parte (*silium*) omissa. — v. 6. DEC ORATA. CV

XVIIII. Sicinius Dentatus.

Primus tanquam inscriptionem marmori incisam produxit Mazochius pag. 18. indeque Lipsius, e Lipsio Boldonius in Epigraphio. Lib. I, f. 22. Secutus est Reinesius Syntagm. VI, 106. pag. 448. qui elogium confictum censet, neque tamen ut Orellius N. 546 refert e Gellio (II, 11.), sed e Plinio Hist. nat. VII, 28. ubi plane eadem fere verba leguntur: „L. Siccius Dentatus qui Tribunus plebis fuit Sp. Tarpeio A. Aterio Consulibus haud multo post exactos reges vel numerosissima suffragia habet: centies vicies proeliatus, octies e provocatione victor, quadraginta quinque cicatricibus adverso corpore insignis, nulla in tergo. Item spolia cepit XXXIV, donatus hastis puris duodeviginti, Phaleris XXV, torquibus tribus et LXXX, armillis CLX, coronis XXVI, civicis XIV, aureis VIII, muralibus III, obsidionali una, fisco aeris X captivis et XX simul bubus. Imperatores novem ipsius maxime opera triumphantes secutus; praeterea (quod optimum in operibus lius reor) uno ex ducibus, T. Romilio, ex consulatu ad populum convicto male acti imperii.“ cf. Valer. Max. III, 2. 24. — Nescio an non ex hac elogii cum Pliniani loci convenientia de fraude facta certis argumentis quidquam concludi possit. Quid enim obstat, quo minus Plinius hunc ornamentorum militarium indicem ex elogio statuae Sicinii addito transscripserit; praeterquam quod, omnino eiusmodi indices orationis varietatem vix admittunt. Accedit, quod Romae in regione XIV Sicinii sivi Sicci statua fuit, unde vicus statuae Sicciae nomen sortitus est, cuius elogium pro communi huius exempli et Plinii fonte haberi potest. P. Victor De regionib. urb. p. 110. in Graev. Thes. Antiq. rom. Tom IV.

L. Sicinius Dentatus Trib. pl. centies vicies praeliatus, octies ex provocatione victor, XLV cicatricibus adverso corpore insignis, nulla in tergo. Idem spolia coepit XXXXIIII, donatus hastis puris IIXX, phaleris XXV, torquibus III et LXX, armillis CLX, coronis XXXV, civicis XIII, aureis VIII,

mural. III, obsidional. I, fisco aeris X captivis XX. Imperatores VIIII ipsius maxime opera triumphantes secutus.

L. Sicinius Dentatus. Apud Plinium l. l. alios L. *Siccius* Dentatus. De utraque forma v. Interprett. ad Plin. — *Centies vic. prael.* In hoc numero etiam Gellius et Valerius Max. l. l. consentiunt. — *Octies ex provocat.* Valerius Maximus Sicinium refert triginta spolia ex hoste retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus inspectante utroque exercitu ex provocatione dimicasset. A. Gellius: „Spolia militaria habuit multiiuga, in his provocatoria pleraque. —Mazo *Coepit* chius habet diphthongo scriptum. Pro spoliis XXXIIII Valerius Maximus, ut supra vidimus, nonnisi triginta habet. Etiam in reliquorum ornamentorum numero Plinius, Valerius Maximus, Gellius cum hoc elogio non usquequaque congruunt: numerantur enim Torques in elogio 73; apud Plinium 83, Valerium Maximum 183, Gellium 85, Coronae in elogio 35, apud Plinium 26, totidemque apud Valerium Max. et Gellium: atque haec ipsa viginti sex coronarum summa efficitur singularum civicarum, aurearum, muralium obsidionalium coronarum computatione. Jam quum hae coronae, praeter civicas, quas elogium 13 rerum scriptores 14 numerant, eosdem ubique numeros prae se ferant etiam in elogio singularum coronarum numeri computandi summam corōnorum universam in indice praepositam aequiparare debent. Quapropter proculdubio pro *Coronae XXXV* emendandum est: *Coronae XXV.*

Fisco aeris X. Reinesius emendandum censet: *Ex* vel *a fisco aeris X millibus.* Plinius: fisco aeris, X captivis et XX simul bubus. Apud Valerium Maximum et Gellium pecunia donata, captivi et boves praetereuntur. *Aeris* idem est quod *assium*; nam assibus saepius quam sestertiis vetustiores Romani pecuniae summam designabant, praesertim in actis publicis. Harduinus ad Plinium l. l. superpositam notae denarii X lineolam ibi excidisse coniicit, quae numerum millenarium significaret. Itemque de hoc nostro loco coniici potest.

Imperatores VIIII est apud Mazochium, qui numerus cum Plinii et Valerii Maximi locis consentit. Reinesius, quem Orellius sequitur, errore, ut videtur, typographi habet VIII.

XX. Decius Mus.

Primus Mazochius edidit in Epigrammat. antiq. urbis pag. 80. ex lapide, quem Romae ad Aedem sanctae Ceciliae in regione

campi Martii esse dicit; eundemque lapidem Magius (Miscell. III, 9.) Romae viderat: quapropter eiusmodi inscriptionem tum temporis vere exstitisse non dubium esse videtur. E Mazochio Gruterus transscripsit pag. 26. 11. Eandemque inscriptionem Aldus Manutius in Orthograph. pag 757, 5. unde sumserit, non significans. Hagenbuchius De diptycho Brixiano p. V. lapidem spurium esse censet, quia ipsum Aurelii Victoris De vir. illustrib. initium cap. XXVII de Decio prae se ferat; eique assentitur Orellius N. 546. Neque tamen res plane ad liquidum mihi perducta esse videtur, praesertim, si' Aurelium Victorem antiqua elogiorum monumenta secutum esse putaveris.

P. Decius Decii F. primo Cos. de Samnitibus triumphans spolia ex his Cereri consecravit. Iterum et tertio Consul . . . . .

Primo Cos. 442 u. c. cum M. Valerio (Liv. IX, 28.) — *triumphans.* Aurel. Victor l. l. *triumphavit.* De hoc primo Decii consulatu omnia alia refert Livius l. l. quam hoc elogium cum Aurelio Victore: narrat enim Decium graviter aegrum Romae relictum, eiusque collegam, M. Valerium, solum reliquias belli Samnitici persecutum esse. Neque minus Fasti Capitolini ad hunc annum Valerium solum triumphasse significant. Probabile est, hunc falsum triumphum ut tot alios, e laudatione aliqua funebri vel imaginum elogio fluxisse.

Spolia ex his. Ita Mazochius; *ex ieis* Ald. Manut. et Gruterus Aurelius Victor: Spolia de his Cereri consecr.

Iterum et tert. cons. Iterum consul fuit 446 u. c. cum Q. Fabio (Liv. IX, 41. Fast. Capitol.), tertium 457 u. c. cum eodem Q. Fabio (Liv. X, 13.) Aurelius Victor ita supplet: Iterum et tertio consul multa domi militiaeque gessit. — De reliquis rebus a Decio gestis V. Aurelius Victor cap. 27. ibiq. Interpretes et qui nuper accurate de eius vita exposuit Haakhius in Pauly Encycl. s. v. *Decii* Vol. II, p. 877. 3.

XXI. Cn. Pompeius Magnus.

In libro satis raro, qui inscribitur: Les illustres observations antiques du Seigneur Gabriel Symeon Florentin en son dernier

voyage d'Italie l'an 1557. Lyon 1558. 4. pag. 50. legitur: „De cette victoire (de piratis) avec les autres faits du dit Pompée est faict mention en plusieurs lieux et même en un grand tableau, qui fut jadis trouvé en terre au pais de Rome:

„Pompeius Sicilia recuperata, Africa tota subacta, Magni nomine inde capto ad solis occasus transgressus exactis (Leg. excitatis) in Pyreneo tropheis, oppid. DCCC LXXXVI ab Alpibus ad fines Hispaniae redactis, Sertorium domuit, bello civili exstincto iterum triumphales currus eques romanus Romam induxit, deinde ad tota maria et solis ortus missus non se ipsum tantum sed patriam coronavit."

Titulus aperto flotitius e Plinii loco (hist. nat. VII, 27.) consutus est, ubi haec leguntur de Pompeio: „Sicilia recuperata, unde primum Sullanus in reipublicae causa exoriens, auspicatus est, Africa vero tota subacta et in ditionem redacta Magnique nomine in spolium inde capto, eques romanus, id quod antea nemo, curru triumphali revectus est; et statim ad solis occasum transgressus excitatis in Pyrenaeo tropheis oppida DCCCLXXVI ab Alpibus ad finis Hispaniae ulterioris in ditionem redacta, victoriae suae adscripsit, et maiore animo Sertorium tacuit; belloque civili, quod omnia externa conciebat, exstincto, iterum triumphales currus Romam induxit, toties imperator antequam miles. Postea ad tota maria et deinde solis ortus missus hos retulit patriae titulos (more sacris certaminibus vincentium; neque enim ipsi coronantur sed patrias suas coronant:) hos ergo honores urbi tribuit in delubro Minervae quod ex manubiis dicabat."

CAPITA E LUDOVICI REGIS OPERE,

QUOD INSCRIBITUR:

„WALHALÆ CONSORTES,“

CONTINE VERSA.

PRAEFATIO.

Quo tempore res Germana tristissime iacuit, (iam enim dies Ulmensis et Jenensis, iam foederatio Rhenana et suae discordiarum furiae Germaniam afflixerant), anno post Christum natum MDCCCVII. Ludovicus, Bavariae imperio iure hereditario destinatus, Germanorum quinquaginta clarissimorum effigies marmoreas ponere animum induxit, atque nihil moratus manum operi admoveri iussit. Deinde augeri numerum, postremum indefinito numero universos quotquot inter Germanos egregiis laudibus inclaruerint complecti placuit cogitanti, quantum sibi arroget siquis suo iudicio clarissimos quosque viros ad certum numerum adigat ut quemquam alium aequo iure vel etiam meliore ad huius gloriae consortium adsciscì licere neget. Illustrium virorum delectus, quos hoc Walhalae honore dignos habebimus, non aliis finibus quam patrii sermonis communione continebitur. Quemadmodum enim natione Graeci antiquitus habebantur sive in Jonia et Sicilia, sive Cyrenae et Massiliae nati, ita natione Germani habebuntur quos Livonia, Alsatia, Helvetia,

Belgium genuit: quippe vel Hollandica nobilitas in ordinem Teutonicum adsciscebatur atque Flandricus non minus quam Hollandicus sermo pro Germanicae linguae dialecto habendus est. Non enim suis quamque gentem sedibus inhaerere maxime refert, sed sui usum sermonis tueri: quem quamdiu gens tenuerit, tamdiu perdurabit. Quo factum est, ut germanicae stirpis decus Ostrogothi ad rei publicae interitum usque, Langobardi vel pluribus saeculis ulterius, atque Franci postquam Galliam occupavere diu intemeratum retinerent. Sed in Hispania Visigothi, sed Angli et Saxones in Britannia haud multo post cladem alteri ad Xerez alteri ad Hastings sibi illatam, utrique patrium sermonem dediscentes cum aliis gentibus coaluerunt, unde novarum gentium propago succrevit.

Inde ab Arminio, qui primus magnorum in Germania virorum ad nostram memoriam inclaruit, illustrium Germanorum effigies artificum popularium manu formatae, vel, ubi vultus ad aequalium imagines exprimi non licuit, nomina saltem aheneis literis consignata in communi Walhalae heroo conspiciuntur. Nulli vitae generi, nec muliebri sexui aditus interclusus, aequa consortii heroici conditione: terrenarum rerum discrimina morte exaequantur. Neque alius ibidem locorum assignandorum ordo servatur, quam qui vitae expletae et capessitae aeternitatis die definitur.

Illustribus inter Germanos viris consecratam hanc aedem quicunque Germanus intraverit, germanior et se ipso melior ingresso egrediatur. Locus universis germanicae stirpis nationibus sacer esto, communi patrii sermonis vinculo consociatis, quod quidem vel solum, reliqua compage etiamsi soluta, disiunctos coniungat: sermonis enim communio arctissima animorum necessitudo.

Brevia, quae infra scripta habentur, virorum illustrium

elogia e spissiori volumine desumta sunt, quod per Walhalae conditorem ut e rerum gestarum commentariis et excellentium virorum vitis congestum est, ita nec suis dotibus caret.

Fama apud aequales parum est, neque in gloria apud posteros omnia sunt; sua cuiusque virtus plurimi aestimanda, prae qua omnia reliqua sordent. Virtus res est sola, quae nunquam nos deserit, haud secus quam mens ipsa in aeternum duratura.

Arminius.

Nunquam in Germania Romani a quoquam Germano tam gravi clade quam in Teutoburgensi saltu ab Arminio afflicti sunt; qui Augusto imperatori moerore confecto vocem illam: „redde mihi meas, Vare, legiones," expressit. Arminius a Romanis rei militaris scientiam iuvenis edoctus; vincendi peritus, inscius victoria uti, quod quidem Germani omnino nunquam didicere. Germanicae stirpis in sinistra Rheni ripa populi frustra ex hac victoria libertatem exspectaverunt, dum Germani iam tum in exteros obsequio, odio in suos grassantur; inveterata huic genti et communi cum veteribus Graecis labe. Arminius a Segeste socero proditus, filia Segestis eademque Arminii uxor vinculis romanis tradita. Quod armis Romani nequiverant, dolo assequi studuerunt, Germanos ad discordiam inliciendo; insigni successu et fatali ad posteros exemplo. Pugnatum ancipiti fortuna. Patriam Arminius ut a Romanis sic a Maroboduo, populari suo, vindicavit. Postremum et ipse dominationem affectare suspectatus crimen siquod fuit morte expiavit, illata sibi a popularibus nece, gloria apud universos aeterna.

Maroboduus.

Maroboduus, nobilis e gente Marcomanorum iuvenis, eodem cum Arminio tempore quem aetate paulum antecessit, Romam venit et Augusti gratiam sibi conciliavit. Haud minoris se quam Arminium aestimavit, Germaniam a Romanis vindicaturus sed in suam ipsius dominationem. Vir vasto potius quam magno animo. Boii a Maraboduo e patriis finibus pulsi, aliae gentes oppressae Arminium auxilio vocarunt. Magna vi et eventu ambiguo inter utrumque proelio commisso, Maroboduus in suae ditionis fines rediit. Mox a Catualda, quem ipse quondam patria expulerat, invicem pulsus, a Romanis hostibus auxilium petivit, qui nihil praeter perfugium Ravennae praebuerunt; laetantes, quod iam a Maroboduo tuti essent.

Velleda.

Foedus Vitellio imperante inter plurimas Germanorum nationes contra Romanos initum Velleda inprimis adiutrice coaluit. Virgo natione Bructera, fatidica, numinis fere loco habita, in edita turre degit, aditu et alloquio aliis nisi propinquis negato. De gravissimis quibusque rebus consuli solita nihil antiquius habuit quam patriam a Romanorum dominatione in libertatem vindicare. Inde illud bellum exortum, in quo Claudius Civilis inter omnes excelluit; quanquam Bructeri postremo, a Germanis gentibus praeter Romanos impugnati, occubuere. Velleda captiva Romam ducta; salva factorum gloria, quum virtutem nequidquam ex adversae secundaeve fortunae casibus metiaris.

Ulphilas.

Ulphilas, gente Gothorum oriundus, qui in dextra Danubii ripa Daciae partem a Valente imperatore sibi concessam incolentes avitam libertatem tuebantur; per viginti annos episcopi munere functus, primus omnium sacros novi foederis et maximam partem antiqui libros in patrium sermonem vertit. Qua in laude Ulphilae tribuenda ut omnes rerum scriptores consentiunt, ita inventas eidem Gothicas literas falso olim adscriptas esse apparuit. Utrum Catholicus an Arianus fuerit non tam liquido constat, quam de morum sanctitate omnes consentiunt. Tanti eum sui populares fecerunt, ut omnes uno ore celebrarent: Quidquid Ulphilas fecerit, recte factum esse habendum. Gloria hac aetate inter Germanos nonnisi imperatoria et bellica appetebatur; quo magis illius viri vitam intueri iuvat, qui erudiendis populi sui ingeniis tantopere intentus, tantum gratiae et laudis apud populares invenit.

Theodoricus Magnus.

Theodoricus Amalorum gente oriundus, ab octavo aetatis ad duodevicesimum per decem continuos annos obses Constantinopoli degens multa didicit, artis tamen scribendi expers mansit. Domum redux bellica laude excelluit, in patris mortui locum Ostrogothorum rex renuntiatus, mox a Zenone imperatore Constantinopolin accitus pro filio adoptatus est. Neque tamen, ut erat Gothorum indoles, pacem tulit. Petiit ab imperatore, ut sibi Herulos ex Italia pellere liceret: praestare enim, eam a filio quam a peregrina gente teneri, atque se Italiae potius quam aerarii impendio sustentari. Qua re impetrata Theodoricus senatui populoque Romano a Zenone

commendatus, in Italiam profectus, tota ea gravi bello potitus, quo tutius a barbaris defenderet, Rhaetiam quoque, Noricum, Dalmatiam et Pannoniam armis cepit. Italiae regis nomem sibi adscivit; paparum creationes etsi Arianus sancivit; Romanis non minus quam Gothis liberum religionum, legum suarum cuique usum permisit; tertiam agrorum partem Gothis assignavit. Sed adeo Romanae indolis decus iam conciderat, ut Romanus vel barbari regis iussu ab aedibus publicis diruendis retinendus esset. Ipse opera publica vetustate collapsa restaurari, nova exstrui iussit. Gothis nulla, Italis modica tributa a Theodorico imperabantur, qui magnum regem in omnes, et si paucos exceperis, etiam mitem se praebuit.

Bonifacius.

Winfridum Anglo-Saxonem iam mature monasterii intrandi, deinde divina praecepta Frisios docendi cupido incessit. Tribus vicibus Romam profectus, primo statim adventu Legatus in Germaniam missus est; postea in urbem accitus ut fidei professionem coram Papa ederet, episcopus in Germaniam rediit. Bonifacii nomen incertum utrum una cum episcopi dignitate an dum Benedictinorum sodalitio adscribitur, nactus, huic nomini rebus a se gestis egregie respondit. Sacrae sedi fidem iure iurando obligavit. Tertium Roma in Germaniam reversus universae ecclesiae Germanicae praeses, mox archiepiscopalem sedem Moguntiacam occupavit, quae primatum per totam Germaniam etsi non omnibus assentientibus, nacta est. Merovingis regno avito pulsis Bonifacius Pipinum rerum potitum Francorum regem, Papa auctore, sacro oleo inunxit. In Bavaris christianam religionem paganis superstitionibus intermixtam emendavit;

quatuor dioeceses constituit. In Thuringis rem christianam stabilivit; Chattos ad rectum divini numinis cultum convertit. Quibus laudibus Germanorum Apostoli nomen, postea nece a Frisis sibi illata, etiam martyrii coronam promeruit. Sacro suo muneri intentus dum armatorum manum advenientem conspicit, sociis „Bono animo, inquit, estote, fratres: nolite eos contremiscere, qui ut corpus trucident, animum exstinguere nequeunt. Laetamini in domino."

Carolus Magnus.

Carolus a Pipino patre ad regnandum educatus et assuefactus. Quo mortuo primum cum Carlomanno fratre communicatum, mox solus Francorum imperium obtinuit. Regnum auspicatus bellum in Saxones sumsit, tricesimo anno in hostium deditionem exiturum. Bella, plerumque suo ipsius ductu gesta per integros regni annos quadraginta octo continuavit. Aquitania, Bavaria, Lombardico regno potitus imperii fines a septentrione ad Edranam, oriente ad Viadrum flumina propagavit; meridiem et occidentem versus Apennino monte et in breve tempus Ibero flumine terminavit. In potentia et regnandi licentia hoc temperamentum tenuit, ut animus, quantum in bellatore fieri potest, ad humanitatis sensum nunquam obduraret. Germaniae ducatus, ut regiae dominationi periculosos, in comitatus discerpsit. Ut non imperii solum sed etiam obsequii ratio constaret, et missos regios, qui dicuntur, delegavit et ipse latissimi regni fines peragravit, hic illic aliquamdiu immoratus. Summus tanti imperii arbiter idem vel de agris villarum serendis mandata dare solebat. Non easdem omnibus imperii partibus leges, eandem tamen militis conscribendi rationem instituit. Disciplinarum et artium amans; religionem christianam maximo

cum studio adiuvit, neque tamen in moribus suis regendis eadem constantia secutus est. Papa Carolum, dum dies servatoris natalis octingentesimus celebratur, dignitatis sibi tribuendae, ut videtur, haud ignarum, Romanorum imperatorem renuntiavit, cui in omnibus quae ad civiles leges spectarent, pariturum se professus est, haud secus quam Carolo iam antea patricio Romano paruerat. Nemo est, quem Carolo aequaveris: aevi, quod se nascentem vidit, caliginem ingenii lumine ceu sol exoriens collustravit. Multas molitus est magnasque res non duraturas; earum quae ad religionem christianam propagandam instituit hodieque vestigia manent.

Erasmus Rotterodamus.

Erasmus, quem Agricola vir eruditissimus, aliquando doctrina inter aequales conspicuum fore auguratus est, magnam spem, quam puer de se excitaverat, vir, id quod raro evenit, neutiquam fefellit. Monasterium, quo commodius literarum studio vacaret vitamque toleraret, diu cunctatus intravit, idemque postquam in Gallia omni doctrina excelluit; in Anglia et Italia honorificentissime exceptus est, monasterium repetere optimum ratus est: quanquam monachorum vitia libris a se editis acriter impugnat. Reformationem sacrorum iam a concilio Basileensi pro necessaria habitam et ipse optabat, sed eam qua ecclesia catholica in pristinum decus restitueretur, non qua everteretur. Quam ob rem contra Lutherum adversarius exstitit, neque tamen eo usque ut poenis in eum saeviri vellet, quam severitatem indoles eius refugit. Tacendo plus profici ratus, animorum discordiam lenire studuit. Quamvis calumniatoribus ubique petitus, a potentissimis principibus honorificis et lucrosis con-

ditionibus arcessebatur. Cardinalis pileum a Paulo III. sibi cum lautis beneficiis oblatum magna cum modestia, rara inter eruditos virtute, detrectavit. Animi hilaritas ne in extremo quidem morbo vehementi dolore tortum deseruit. Religiose vivebat, religiose decessit vir meritis et auctoritate praestans, cuius scripta mansura sunt quum iam diu rixosi aevi illius libri extra bibliothecas eliminati fuerint.

Carolus V.

Carolus vicesimo aetatis anno regnum adeptus nimia gloriae cupiditate exarsit, cui explendae quamvis validissimis opibus Hispaniarum et Burgundiae heres instructus, tamen imperii in Europa fines nonnisi ducatu Mediolansi post gravia bella a se gesta auxit, dum in America nec opinanti et aliud agenti maxima ei regna obtingunt. Sed Gallia imperatoriae ditionis regionibus interposita cum Francisco I. suo rege, Caroli in omnibus aemulo, vel in artium studio quas uterque fovebat, atque sacrorum quae dicitur in Germania reformatio maxima Carolo rerum gerendarum cursum persequenti impedimenta obstabant. Quamdiu regnavit tamdiu bella gessit, plurima contra Gallos in Italia, in Germania contra foederationem Smalcaldicam, contra Turcas in Hungaria eorumque condignos in Africa gentiles. Quibus quidem bellis ipse dux interfuit felici plerumque successu gesta; sed nunquam maior quam in rebus adversis apparuit, quum ad Algeriam ornatissimam classem tempestatum violentia deletam, se ipsum in extremo vitae discrimine versantem videret. Infinitam et liberam in Germania et Italia potestatem appetivit, fortasse assecuturus, si fidentius et celerius quam cunctantius et prudentius agere maluisset. Multum ei, neque tamen satis calliditatis inerat. Etsi intra

imperii fines solem non occidentem habuit, tantum abfuit ut opibus abundaret, ut haud semel tricies mille militum exercitui alendo impar esset: ob eamque causam militi haud raro obsequium exuenti confidere non potuit. Libertatis popularis inimicus Hispaniam vetere rei publicae forma privavit. Postremum corpore invalidus et quum fortunam toties invidam expertus esset etiam animi aegritudine confectus atque quam fluxus et inanis vel maximus rerum humanarum splendor esset edoctus, Imperator inclyta Habsburgorum stirpe ortus et cui Papa ultimo inter Imperatores romanos coronam imposuit, regnum abdicavit et in Hieronymitarum monasterium Sancti Justi nomine insignitum in Hispania se abdidit, in quo altero post anno diem supremum obiit.

Guilelmus,
Princeps Arausionensis
Belgicae libertatis auctor.

Guilelmus, princeps Arausionensis ex antiqua Nassoviorum prosapia oriundus quum in Gallia obses consilium omnium Protestantium delendorum a Gallis et Hispanis initum comperisset, Belgium Hispanorum potentia liberare decrevit. Regius quinque provinciarum Gubernator invidiam, in quam Hispani haud immerito venerant, etiam magis incendere studuit. Mox tantum valuit, ut Granvella Cardinalis aliquando nata occasione nihil antiquius haberet, quam quaerere: an Tacitus (quo nomine Guilelmus significari solebat) captus esset; quippe eum unum pluris erat captivum haberi, quam reliquos partium duces omnes. Sed postquam Albanus Dux, genius ille exstinctor, in Belgium venit, Guilelmus in Germaniam profectus doctrinam Calvini amplexus est. In Belgium redux omnium provinciarum libera-

rum praefectus et copiarum terra marique etiam maiorem potestatem appetivit. Quod dum molitur, septenae de septemdecim Belgii provinciis, eaeque maxime inopes et infirmae contra ingentem Hispanici regni potentiam adhuc florentissimam rebellantes, etiamsi certa pernicie interiturae viderentur, tamen postremum libertatem ipsius potissimum virtute sunt consecutae. Plurima Guilelmo in hoc bello impedimenta interna externa superanda erant, magni duces devincendi et Hispanus pedes, quo nullus hac aetate alius per totum orbem terrarum praestantior. Belgii foederati liberator, quum globulo traiectus concideret, iam moribundus hanc novissimam vocem edidit: Deus, inquit, afflicti populi tui miserescas.

Maximilianus I.

Bavariae Elector.

Maximilianus, Guilelmi V. filius, opes publicas attritas, conturbatas brevi temporis spatio restituit, populo non vexato. Omnia quae ad patriae utilitatem pertinerent sua ipsius opera perpetuo curavit. Neque ad omne genus artes fovendas ullus in Germania princeps pro opum suarum modo maiores ipso sumtus fecit. Quo felicitatis Bavaria sub hoc principe perventura fuerit, nisi bellum tricennale, illa Germaniae pestis, ingruisset, inde colligi potest, quod tria saecula non suffecerunt, ut Bavaria quem statum Maximiliano tmperante tenuerat, eundem denuo recuperaret. Erant in Germania ea aetate vel Catholici vel Protestantes, Germani nulli. Quodsi Maximilianus neutram partem, nedum Proiestantium, secutus esset, Austriacam domum certa pernicies manebat. Sed in Archiducatu Austriae seditionem coercuit; sed Bohemiam, quae Fridericum V. Palatinum regem ele-

gerat, a gentile suo armis vindicavit. Animum imperii augendi cupidum quamvis obluctantem continuit, terrenis bonis coelestia anteponendo; pro tot opibus, quas ad Austriam servandam contulerat, nihil vicissim nisi avitam domus suae hereditatem, (Palatinatum superiorem et Electoris dignitatem) consecutus. Quod catholica in Germania religio exstincta non est, ipsi debetur, quae quidem religio ut ab eo strenue defensa est, ita totam eius vitam morum sanctitate conspicuam non leviter perfudit sed plane infecit. Foederis catholici caput, ante Tillii cladem vel Imperatore potentior; omnium ea aetate principum solus regimen imperii per integrum belli tricennalis tempus continuavit, per quinquaginta octo annos a se gestum. Nullius unquam principis in Bavaria imperium cum tanta claritate tam diuturnum fuit.

Ludovicus,

Marchio Badensis.

Ludovicus, Marchio, munus in summo imperii Germanici iudicio sibi iuveni sed iam clarescenti oblatum repudians: miles, inquit, sum; miles ero. Aevum bellis contra Gallos, Turcas gestis transegit, ut in curam regionis, quam sua ditione tenuit, a Gallis vastatae parum temporis sibi relinqueretur: nam Galli omni humanitate exuta ad trecenta oppida et vicos utraque Rheni ripa incendio deleverant. Ludovicus in victoria Granensi medium agmen duxit; Budam, quae urbs per centum quinquaginta septem annos Turcarum iugum subierat, antiquum Hungariae caput, expugnavit; novas in quovis praelio, quavis obsidione laureas meruit. Mox exercitui ob Gallorum in Germaniam irruptionem deminuto summus dux praepositus ad Salencamen haereditarium Christianorum hostem proelio devicit, in quo haud minori

quam olim ad Viennam et ad Mohatzsch hostium strage sed animo utrinque etiam obstinatiori pugnatum est; atque hac demum victoria Hungaria in certam Austriae possessionem vindicata est. Imperii germanici ad Rhenum exercitui quum praeesset, ut exspectationi hominum de se plane satisfacere non potuit, ita diu hostium progressus coercuit. In bello de Hispaniarum successione gesto proelium ad montem, cui nomen Schellenberg confecit; Landavium expugnavit; munimenta Wissenburgensia cepit. Postremum animo non minus quam corpore aeger occubuit, princeps bellica virtute non minus quam civili prudentia clarus et qui in bello maximam aciei instruendae artem cum egregia animi fortitudine copulavit. Viginti sex expeditionibus interfuit, viginti quinque obsidiones rexit, in tredecim proeliis imperator vicit. Fortunam in his bellorum casibus mirum in modum secundam nactus est, sed eam quae nisi praeclara virtute comite consistere nequeat, ut maximis quos Germania genuit belli ducibus merito adnumeretur.

Godofredus Guilelmus Liber baro de Leibnitz.

Leibnitius vix quatuordecim annos natus studia in universitate literaria auspicatus est; quae immatura festinatio aliis nocere solet ipsi bene cessit. Inprimis philosophiae et mathematicae operam dedit, quae quidem disciplinae vel maxime eum detinuerunt, quamvis plurimas alias accerrimo studio amplectentem: theologiam, historiam, ius gentium, naturae cognitionem, Chemiam adeoque Alchymiam attigit; graecae, latinae, multarumque recentiorum linguarum promtam facultatem habuit; poeta; civilis prudentiae gnarus. Fidem paene superat, quot volumina, uberrimos meditationis

fructus, ediderit in hac rerum a se agendarum copia, accedente epistolarum commercio latissimo, frequentissimo. Panhistorem Leibnitium dixeris, cui e recentioribus nemo, ex antiquis unus Plinius comparetur. Quam studiorum immensitatem adstupescas licet, sectari ne coneris: tanta enim ingenii capacitas omnem disciplinarum orbem complectentis rarissimum est naturae beneficium. Publicis muneribus primum sub Joanne Philippo de Schoenborn, Electore Moguntino, viro celsi animi, deinde Hanoverae functus, peregrinationes Berolinum, Viennam, per Gallias suscepit, a summis inter aequales suos viris, omnium religionum assectatoribus per magni habitus. Ob merita nobilium ordini adscriptus aevum strenua opera et sedulitate actum coniunctim in procerum consuetudine, in seducto literarum studio, publicis muneribus obeundis et spissis voluminibus docte conscribendis transegit. Tempus ad haec omnia sufficiens invenit, quia quaesivit, nec ullum temporis momentum sibi incassum elabi passus est. Philosophorum commenta dies ostendit et rursus delet; Leibnitii gloria inconcussa perdurabit.

Maria Theresia.

Imperatrix Regina.

Carolo VI. Imperatore, ultima Habsburgicae stirpis sobole, mortuo Borussus, Gallus, Hispanus, Bavarus, Saxo Mariam Theresiam filiam simul invasere invenem imperio capessendo destinatam sed non educatam et rerum usu adhuc expertem. Destitutae forti exercitu, bono belli duce, bono in re publica administranda ministro, opibus publicis carenti omnes ei defuerunt, sibi ipsa non defuit; quo factum est ut nec alii perpetuo ei deessent. Silesiae impendio reliquum Austriacum regnum redemit. Magno Tusciae Duci

(quam ditionem amissae Lotharingiae pretium nactus erat), carissimo coniugi imperatoriam coronam conciliavit. Mox Borussorum potentiam, ut illatam sibi iniuriam ulcisceretur, eversura, Gallum et Moscovitam eiusdem consilii socios nacta est. Sed Borussorum rex septem annorum bello invictus suos imperii fines tenuit. Inde Theresia impetante Gallicia et Bucowina nullo sanguinis dispendio, atque ea regione cui nomen ab Oeno flumine inditum, levi certamine partis, Austria firmae pacis felicitate fruebatur. Iuventuti erudiendae, artibus, disciplinis, opificiis, agriculturae promovendis multum operae impendit; iuris dicundi et iudiciorum rationem emendavit; exercitum et numero et disciplina mirum in modum auxit; opes publicas stabilivit. Pari omnes cives cura fovit: magna temporum felicitas. Populi sui amantissima et de filio successore improspera augurans, Utinam, inquit, filium amorem civium docere possim. Proprias sui sexus virtutes cum imperatorio ingenio coniunxit; atque intra latissimos imperii sui fines, qui constantia eam aequipararet, virum haud facile inveneris. Coniuge mortuo omnia sibi vitae delinimenta sublata sensit. Ad vitae exitum usque quamvis acri morbo cruciata ab imperandi officiis obeundis non cessavit, neque a miseris civibus sublevandis, quos quantae curae habuerit, insigni dicto comprobavit: nam Sicui, inquit, mortem effugere liceret, hoc nulla alia causa quam ad miseros cives meos sublevandos mihi optarem. Post omnem generis humani memoriam haud facile ulla praeter ipsam ullius imperii invenietur regnatrix, quae tantam et animi et fortunae magnitudinem cum tanta morum sanctitate coniunctam habuerit.

Fridericus unicus,
Borussiae rex.

Fridericus, dure a patre educatus ut vel rebus ad vitae cultum necessariis nonnunquam careret, parum abfuit, quin, quia sine patris permissu peregre profecturus esset, supplicio afficeretur. Paucis mensibus antequam Habsburgicae stirpis propago exaruit, regnum adeptus, Mariae Theresiae, a qua Silesiae partem repetens superbe repudiatus esset, totam fere Silesiam eripuit. Tum ubi Europae plurimi iique potentissimi reges in eius interitum coniuravere, prudens non minus quam audax hostes nondum paratos bello antevertit, in quo quidem haud semel interiturus videbatur. Nunquam maior quam in rebus adversis virtus eius apparuit; ne uno quidem pago amisso bellum septennale superavit. Imperatori Josepho II. dominandi cupido obicem opposuit, neque tamen ideo religiosius fidem erga Germaniam, communem patriam, servavit, quae omnino tunc nulla erat. Suos Austria habuit sectatores, Borussia suos; communis patria nullos. Poloniae discerpendae consilium ab eo profectum est, iniustum illud quidem neque regnorum rationibus conveniens. Pro populo omnes rei publicae partes, a populo nullam gerendas esse dictitabat. Idem divinae illius vocis immemor, quae humanum genus non pane solum vivere nos monet, generosius animorum pabulum adeo ignoravit, ut religionum contemtor existeret. Quod malum ubi latius serpsit, sero labem ingruentem animadvertens: „Victoriae, inquit, Leuthensis (quam plurimi fecit) impendio tales populi mores, quales sub patre rege erant, si possem, redimerem.“ Multa eius documenta humanitatis exstant, contra quam Voltarius iudicavit; qui quum aliquando in mensam marmoream reclinatus adstitisset, regem non absimilem huius

mensae dixit aeque politum esse eundemque non minus durum. Laudabilis rerum scriptor; non aeque bonus, quamvis multos versus pepigerit, poeta. Opum publicarum augendarum unus omnium peritissimus: in aerario enim octingenta Thalerorum millia congesta, exercitum ducenties mille militum ad belli usus paratum reliquit. Multa loca munimentis cinxit; oppida et vicos quam plurimos condidit; agros novales proscindi, perpetuo magnifica et sumtuosa aedificia exstrui iussit; atque haec omnia (quod satis mirari nequeas), post bellum tam diuturnum perfecit, post tantam hominum stragem, terrarum vastitatem. Borussia antea Germaniae cum esset, per ipsum Europae pars facta est. Fridericus rex tot res tam egregie unus gessit, quae vel singulae pluribus sufficientem gloriae materiem praebiturae erant. *Unici* cognomen adeptus est, cui neminem comparaveris.

Immanuel Kant.

Philosophus.

Kantius egenis parentibus genitus, a puero nullis extra se adminiculis adiutus, lento progressu ingenii vires explicuit. Regiomontii et audivit et docuit, qua ex urbe ultra septimum milliarium nunquam egressus est. Acer rerum perscrutator et severus ad merae rationis normam exactor; mente et corpore sobrius, atque ad ieiunitatem usque siccus; risus expers, idem tamen circulorum hilaritatem amans, neque quisquam mundi muliebris elegantior hoc philosopho arbiter. Sed teneriorum et intimorum, quos humanum pectus condit, sensuum expertem coelo quasi exclusum dixeris: imaginativae enim animi facultati parum tribuit; musices, generi humano amicae, osor; mathematicae disciplinae amans. In summas rerum causas etsi acriori quam quisquam

alius aequalium studio inquirens tamen non omnia argumentis demonstrari posse intellexit. Auditores non philosophiam sed philosophari docebat; ad honestatem suo non minus exemplo quam praeceptis instituit. Propriam popularium suorum indolem prae se ferens, fide erga regem suum conspicuus; neque tamen Friderici Guilelmi iussu, quae ex animi sententia et doctrinae suae decretis statuerat, ut revocaret adduci potuit. Ab omni voluminum edendorum ambitione alienus ad scribendum sero et amicis suasoribus se contulit, vere philosophus si quis alius. Philosophae sectae auctor exstitit, quae ut aliarum sectarum auctoritatem subvertit ita invicem et ipsa a subsequentibus sectis subversa est, dum innumera deinceps philosophorum commenta succrescunt. Iam igitur per tot saecula tam multi rerum indagatores circa voluminum molem trepidantes veritatem dum anxie quaerunt, eum ipsum librum qui veritatem omnium ante oculos expositus continet, incuriosi praetereunt.

Fridericus Schiller,

Poeta.

Schillerus dum Ludoviciburgi in praestantissima schola Carolina discipulus degit, mature ingenii igniculos emicare sensit, ut iam tum tragoediam meditaretur. Chirurgo patre genitus, a Duce Wirtembergico, principe suo, medici castrensis munus obtinuit. Votum, quo in binos annos sibi a poeticae artis studiis interdixerat, religiose servavit; postquam solvit, integro eoque maiori ardore ad poesin rediit. Per aliquot annos Manhemii moratus, Wimariam se contulit; eodemque, quum ob valetudinem affectam historiae professionem in Jenensi universitate abdicasset, habitatum rediit. Rapido torrenti Schillerum compares, qui obicum claustro

perrumpens longe ultra ripas exundat; sed eundem rursus Rheni, patrii fluminis, haud absimilem dixeris, qui spumosis verticibus et violento aquarum impetu de rupibus praecipitatus, mox placido lenique cursu labitur, minori strepitu ubertate pleniori. Nam et in Schillero ex diversa operum indole tres aetatum gradus distinguas, primum imaginationis fervidae extra modum luxuriantis; alterum philosophiae acri studio tractatae; tertium, inde a tragoedia quae Wallensteinii nomine inscribitur condita, ingenii sua vi ad summa quaevis enisi et accedente doctrina perpoliti. Sed hae rerum terrenarum angustiae divinam vatis mentem continere non valuerunt, altius evolaturam. In lyrica poesi maior exstitit quam in scenica. Schillerum Germani suum omnium poetarum popularium unum maxime amant: nam propriam Germanorum indolem plane refert, vel hactenus quod non unius populi sed totius mundi se civem sentit. Sursum nos attolit, et ipse evolat: animum facit quia habet. Sed generosiorum ex aequalibus eius vigor introrsus abditus intra animi penetralia cohibebatur, atque ingenia languoris horum temporum pertaesa ad antiqui decoris recordationem se converterant, neque tamen ultra scribendi elegantiam enisa. Vatis et vita et Musa casta, humanitatis plena; poetica facultas primigenia, nativa. Multi eum imitati sunt, nemo assecutus.

Joannes de Mueller,

rerum scriptor.

Joannes Muellerus adhuc puer Helvetorum proelia tanto animi ardore et tam graphice enarrabat, ut omnes ingenium admirarentur, memoriae capacitatem adstupescerent. Mox quantum antiqui rerum scriptores valuerint nec nostrae aetati denegatum esse dum sibi persuadet, ipse tantumdem valere

coepit. Scriptor pressus, sententiis creber legentium animos movet, attollit, ut rebus gestis quas describit ipsi nobis interesse videamur, eiusque artificio praeterita velut praesentia intueamur. Helvetiae Historia, quam non ad finem perductam dolemus et brevis universae historiae adumbratio praestantissima eius opera habentur. Monumentorum fidem accurate cognoscere ad res scribendas plane necessarium ratus, tam largam diligentissimo studio materiam congesserat, cui unius hominis aevum elaborandae vix suffecerit. Populare rei publicae genus, quale Helvetorum est, etsi adamavit, tamen antiqui quemque populum rei publicae status a maioribus accepti tenacem esse debere censuit; sed eundem semel funditus eversum integrum restitui posse negavit. Iuris legitimi strenuus assertor, contra unius dominationem universum orbem terrarum regno affectantis, nihil generosae indolis in vita relinquentem libere, animose atque ut hominem decet christianum sententiam dixit. Deo duci confisus, humano generi amicus, ingenua simplicitate et candore animi degit. Etsi rebus agendis natura minus aptus, munera sibi a pluribus demandata postremum in Westphalia gessit ex Napoleonis Imperatoris iussu, qui quidem et in Joanne Muellero comprobavit, quantopere hominum animos in tempus capere atque adeo quasi incantationibus devovere valuerit. Honores in regno Westphalico sibi oblatos neque laetabundus suscepit et mox cum munere studiorum regundorum commutavit, in quo multa damna ingruentia repulit. Dum his muneribus otio cui natus et innutritus esset, eripi se sinit, etiamsi amorem Germaniae communis patriae servaret, tamen sinistris popularium sermonibus obnoxius unius infausti temporis momenti, quo hosti victori cessit, graves poenas dedit et aegritudine confectus immatura morte occubuit. Qualis

Thucydides apud Graecos, Tacitus apud Romanos, is apud populares Joannes Muellerus.

Gebhardus de Bluecher.

Bluecherus, quum in Suecico exercitu tiro esset, bello captus mox missionem a Suecis honestam nactus in Borusso exercitu stipendia meruit, quem quia commilitonibus iniuria posthabitus esse sibi videretur, reliquit. Post quindecim annorum intercapedinem, quibus publico munere a se gesto de civibus suis bene meruit, denuo arma successu tam felici repetivit, ut tribus in expeditionibus continuis contra Gallos multa cum laude pugnaret. Infelici ad Auerstadium proelio superstes Lubeciae in hostium deditionem venire coactus est. Sed bello anni MDCCCXIII coepto Borussi Bluechero duce soli ex consociatis exercitibus ad Grossgerach oppidum vicerunt. Dum induciae habentur, summus Silesico exercitui dux praefectus: „Iam, inquit, pueri, satis Francogallorum intromisimus; agmine nunc converso porro pergite!“ Atque suus ducem miles porro secutus, Gallos turbatissima fuga fusos in amnem cui nomen Katzbach detrusit. Ipse cum suo milite proelio Lipsiensi per quatuor continuos dies unus ab initio ad exitum usque interfuit, intra Lipsiae expugnatae moenia summis militiae honoribus a suo rege auctus. Inde per Lotharingiam profectus Napoleonem ad Brienniam assecutus vicit; rursus dum exercitu in minuta agmina disperso nimis festinanter progreditur, victus, denuo hostem ad Laonium fudit, ad Parisios devicit, Martium montem expugnavit. Parisiis captis Principis nomen et dignitatem adeptus est. Ubi bellum proxime subsequenti anno denuo exarsit ad Ligny oppidum ab hoste oppugnatus, victus, postridie Gallum plenius quam unquam usquam a quoquam

adhuc victus erat, devicit celeberrimo illo, quod libertatem Europae reddidit, ad oppidum cui nomen est Belle-alliance, proelio. Wellingtonii exercitus, in quo maior Germanorum quam Anglorum numerus, nisi Bluecherus auxilium tulisset, periturus erat. Plus semel summam rerum in aleam dedit; alii fortasse belli duces detrimenta, quae Bluecherus passus est, effugissent; nemo eorum ex omnibus tot tantorum regum exercitibus vel omnino vel tam cito certe quidem quam Bluecherus optatam metam victor assecuturus erat. Ad consilia bellorum artificiose designanda ingenium eius minus aptum; sed in acie pugnans omnes superavit: neque tam e librorum voluminibus quam ex bellorum usu bellare didicit. Vel senex mentem a praeoccupatis opinionibus liberam servavit. Valetudine per bellorum labores firma usus, pacis tempore languescere coepit atque in Silesia diem supremum obiit.

Carolus Princeps de Schwarzenberg.

Schwarzenbergius primarius in bellis Turcico et Gallicis praeliator, postea ab imperatore suo missa Gallis auxilia non minori prudentia quam virtute duxit. Neque minus bonum pace oratorem pluribus legationibus susceptis se praestitit. Postquam Austria magno contra Napoleonem foederi accessit, Schwarzenbergio summo cunctorum in Germania exercituum foederatorum duce sacra Germaniae causa victrix exstitit et tot populorum in proelio Lipsiensi concursu, quo nullum praeclarius habetur, patria in libertatem vindicata est. Cuius proelii utinam Germanus ne ullo tempore obliviscatur, nec quibus causis haec necessitas adducta et victoria tandem parta sit. Schwarzenbergius in Galliae penetralia progressus est, quae nunc primum victricia Germanorum

signa Parisiis, regni capiti, illata vidit. Deiectus hac victoria Napoleo quum proxime sequenti anno denuo insurgeret, iterum et nunc quidem in perpetuum Schwarzenbergio Austriaci exercitus duce devictus est. Virtute bellica non minus quam humanitate insignis; vir bonus, comis et qui sui commodi oblivisceretur ut communi utilitati inserviret. Ut omnino hostes fugarentur vel maxime, utrum a se an ab alio parum referre, dicere solebat; imprimis propterea magnus vir habendus, quod quoties officii ratio posceret, famae discrimina non extimuit. Belli ducem summa cum religione de occisorum militum vita rationem a se exigere debere, persuasum sibi habuit; qua cum humanitate inconcussam idem, quoties sibi opus videretur, constantiam coniunxit. Bellum non ex praeceptis in artis formam redactis, sed pro re nata atque ut usus posceret, gerendum esse duxit. Animi sui constantia et aliorum animos confidentiam attulit; in rebus secundis, adversis nunquam sui dissimilis. Praestantiores fortasse in foederatorum exercitibus duces inveneris; qui universis praeesse et omnes ad commune propositum regere valeret, praeter ipsum, neminem: quod quidem non minus aestimandum est. Multa pro communis causae commodo pertulit; multa quibus ad intima praecordia usque afficeretur, vultu non mutato pressit: quibus laboribus perferendis quum valetudo non sufficeret, vitam impendit.

Joannes Wolfgang de Goethe.

Goethius Francofurtanus, ampla et honesta familia plebeia oriundus, iurisprudentiae studio a patre non a natura parente destinatus, cuius scientiam sibi comparavit, usu abstinuit. Ex Italia redux propitia fortuna Wimariam delatus, receptus in familiaritatem Caroli Augusti Ducis Wimariensis,

inter decora saeculi ingenia conspicui, postremo proximum a principe in administranda republica locum obtinuit. Maximus iuxta Schillerum Germanorum poeta; quem non totum uni Musarum sacerdotio vacasse et scenicis potissimum ludis non plus operae impendisse, artis amatores est quod doleant. Nam ut vel egregii viri haud semel ea studia cupidissime arripiunt, in quibus non maxime excellunt, ita Goethius in colorum natura indaganda annos quadraginta consumsit. Iam mature Goethio et sui ipsius et humanae vitae ratio constitit: nulla re sollicitatus divino nisu super humanarum rerum turbas elatus, quae mente conceperat libere efformavit. Ingenii incorruptus candor et limpida perspicuitas, quae et in eius scriptis apparet; eximia intellectus acies non minus in scribendo quam in vita regenda conspicua. Antiquitati graecae et romanae quam nostrae aetati affinior si tunc vixisset, summis ingeniis aequiparandus; in omnibus quae sensu percipiuntur exprimendis (quae propria est antiquitatis illius laus) vigore et venustate egregius. Vel uno suo opere, quod Fausti nomine inscribitur, immortalitatem meritus. Fortuna secunda per totam vitam usus est, non ut divitiis abundaret, sed ut a quaestu mercenario solutus genium ducem sequi posset. Famae mature ostentatus et agnitus, ad extremum senectutis pervenit non sibi ipsi superstes sed cum corpore valido animi vigorem retinuit, donec dolorum expers placide obdormivit. Summus diu artium et poeticae facultatis arbiter hac novissima demum aetate, qua summa quaeque atteri vidimus, nec ipse obtrectatoribus caruit. Sed viri huius gloria suum tuebitur lumen, postquam oblivio diu obtrectatorum calumnias obruerit. Goethio defuncto quaternorum astrorum, quae Wimariam olim collustrarunt, ultimum occidit.